

Zeitschrift: Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie = Revue philosophique et théologique de Fribourg = Rivista filosofica e teologica di Friburgo = Review of philosophy and theology of Fribourg

Band: 60 (2013)

Heft: 1

Artikel: Le prime due questioni prologali del commento sentenziario di Guglielmo di Nottingham

Autor: Fiorentino, Francesco

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-760986>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 18.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

FRANCESCO FIORENTINO

Le prime due questioni prologali del commento sentenziario di Guglielmo di Nottingham

Guglielmo di Nottingham O.F.M., lettore sentenziario tra il 1310 ed il 1314, ministro provinciale dell'Inghilterra tra il 1316 ed il 1330 e favorevole alle tesi pauperistiche nel Capitolo di Perugia nel 1322, redige un commento sentenziario in quattro libri ed uno *in Evangelia*. Quest'ultimo é conservato nel ms. Oxford Bodl. Laud Misc. 165, mentre il commento sentenziario é tramandato da un unico testimone manoscritto ms. Cambridge Caius & Gonville, 300/514 (= C)¹, descritto da Longpré².

Il commento sentenziario, di cui Schmaus ha trascritto la lista delle questioni di tutti e quattro i libri³, é edito solo in minima parte. Si segnalano la dist. 8 sulla distinzione formale⁴, la dist. 11 sulla processione dello Spirito Santo dal Figlio e dal Padre⁵, le dist. 38-41, 45-48 del primo libro sulla prescienza e l'onnipotenza divine⁶, la questione 3 della dist. 1 del secondo libro sull'eternità del mondo⁷, le dist. 8-13 del quarto libro sui sacramenti⁸.

Tale commento é molto utile per inquadrare il contesto speculativo, in cui Nottingham opera, a causa dell'abbondanza di annotazioni marginali, che riportano gli autori delle opinioni citate nel corpo del testo. Balic ha evidenziato come proprio Nottingham ci informi della possibile

¹ SMALLEY, B.: *Which William of Nottingham?*, in: *Medieval and Renaissance Studies* 3 (1954) 200-238.

² LONGPRE, E.: *Le Commentaire des Sentences de Guillaume de Nottingham O.F.M.*, in: *Archivium Franciscanum Historicum* 22 (1929) 232-233.

³ SCHMAUS, M.: *Neue Mitteilungen zum Sentenzenkommentar Wilhelms von Nottingham*, in: *Franziskanische Studien* 19 (1932) 195-223.

⁴ MEIER, L.: *Willelm von Nottingham. Ein Zeuge für die Entwicklung der Distinctio formalis an der Universitat Oxford*, in: *Philosophia Perennis. Festgabe J. Geysers*. Regensburg: Josef Habel 1930, I, 247-266.

⁵ FRIEDMAN, R.: *Trinitarian Theology and Philosophical Issues. Trinitarian Texts from the Late Thirteenth and Early Fourteenth Centuries*, in: *Cahiers de l'Institut du Moyen Age grec et latin* 72 (2001) 89-168.

⁶ SCHMAUS, M.: *Neue Mitteilungen zum Sentenzenkommentar Wilhelms von Nottingham*, 195-223.

⁷ IDEM: *Guillelmi de Nottingham doctrina de aeternitate mundi*, in: *Antonianum* 7 (1932) 139-166.

⁸ BARBARIĆ, J.: *Guilelmi de Nottingham (d. 1336), Quaestiones sex de eucharistiae sacramento. Disquisitio et textus critice editus*. Vicenza: LIEF 1976.

ritrattazione dell'opinione scotista *de absolutis* ad Oxford⁹. Inoltre, Nottingham é il solo teologo che accenna ad una tesi trinitaria di Giovanni di Berwich O.F.M e Guglielmo di Macclesfield O.P, che é discussa in forma anomima in molti commenti sentenziari tra il 1280 ed il 1320¹⁰. Qui vengo ad editare le prime due questioni prologali secondo le comuni regole di emendazione e normalizzazione, in base al ms. C, fol. 1ra-8va.

PROLOGUS

[Quaestio 1

Utrum ex principiis creditis possit adquiri habitus scientificus proprie dictus, quo aliqua evidentius cognoscantur quam per lumen fidei]

(1) [fol. 1vb] Quiaⁱ in praecedenti collatione dictum est quod credita possint esse scita vel intellecta, ex quo videtur sequi quod de eis potest esse scientia proprie dicta – quod, obvium est apud solemnes magistros –, ideo quaeretur utrum ex principiis creditis possit adquiri habitus scientificus proprie dictus, quo aliqua evidentius cognoscantur quam per lumen fidei.

[Argumenta] quod non

(2) Probatur primo ex dependentia, qua dependent conclusiones ex principiis, secundo ex repugnantia habitus scientifici ad habitum fidei et opinionis, tertio ex reali substantia passionis et subiecti demonstrationis.

[1. Primum argumentum]

(3) Secundum primam viam, sicut arguitur: quae essentialiter concluduntur, [fol. 2ra] deficienteⁱⁱ primo, deficiunt omnia quae sunt postea, propter essentialem dependentiam ad primum.

(4) Hoc patet VII *Metaphysicae*ⁱⁱⁱ de causis agentibus; sed notitia conclusionum dependet essentialiter ex notitia principiorum ex V *Metaphysicae*¹² capitulo de principio et capitulo de prius et posterius; igitur, deficiente notitia principiorum, deficit notitia conclusionum. Sed notitia, quam habe-

⁹ BALIĆ, Ch.: *Les Commentaires de Jean Duns Scot sur les quatre livres des Sentences*. Louvain : Bureaux de la Revue 1927, 69; *Adnotationes*, in: BALIĆ, Ch. et al. (eds.): *Ioannis Duns Scoti Doctoris Subtilis et Mariani Opera omnia*. Città del Vaticano: Typis Vaticanis 1950–2010, Vol. VI, 24*.

¹⁰ IOANNES DUNS SCOTUS: *Ordinatio I*, in: *Opera omnia*, ed. Balić, dist. 11, q. 2; vol. V, 10.

¹¹ ARISTOTELES LATINUS: *Metaphysica VII*, 17, 1041a7-b34; ARISTOTELES LATINUS: *Opera omnia*, ed. L. Minio Paluella/G. Verbeke. Bruges: 1953–2012), XXV 165–166.

¹² ARISTOTELES LATINUS: *Metaphysica V*, 11, 1019a1-4; AL XXV, 107.

mus de principiis creditis, non est nisi notitia fidei quae totaliter distinguitur a ratione scientiae; igitur etc.

(5) Ista ratio confirmatur dupliciter. Primo sic: impossibile est effectum excedere veritatem suae totalis causae; sed notitia principiorum creditorum est omnino imperfecta, quia fidei tantum; igitur impossibile est eum producere notitiam perfectiorem notitia fidei; sed notitia scientifica est multo perfectior notitia fidei; igitur etc.

(6) Secundo confirmatur per hoc quod illud quod est falsum in omni genere, est certum maxime – ex II *Metaphysicae*¹³ –, praecise si suscipiat magis et minus – et ultimo Avicennae¹⁴ –, ut primum clarum <est> maxime clarum et primum verum maxime verum et primum cognitum maxime cognitum.

(7) Unde I *Posteriorum*¹⁵ dicitur: Unum quodq uid, propter quid et illud magis. Sed conclusio est cognita propter principia; igitur principia sunt maxime cognita; quod non est verum in proposito.

[2. Secundum argumentum]

(8) Itemⁱⁱⁱ ad principale, nullum necessarium in quantum huiusmodi dependet a causa contingente essentialiter; sed omnis scientia includit in se assensum necessarium; igitur nulla scientia in quantum scientia dependet a causa contingente essentialiter. Sed totus assensus theologicus dependet a causa contingente, quia a voluntate in quantum libera est. Alioquin actus credendi non esset meritorius.

(9) Praeterea dicit Augustinus homelia 26 Super Ioannem¹⁶ supra illud Ioannis 6: Nemo potest venire ad me nisi per Patrem qui misit me, dicit quod scire potest homo, nolens, credens autem non nisi volens.

(10) Sed certum est quod assensus conclusionum non dependet per assensum principiorum. Cum igitur voluntarie tantum et libere assentimus principiis creditis, igitur et conclusionibus; sed talis assensus non stat cum scientia.

[3. Tertium argumentum]

(11) Item^{iv}, illarum conclusionum, quae deducuntur ex principiis secundum habitudinem vel consequentiam tantum, non est aliquis habitus proprie scientificus, quia proprie de ratione conveniente non est veritas nec veritatis evidentia, sed tantum habitudo necessaria consequentis ad antecedens,

¹³ ARISTOTELES LATINUS: *Metaphysica* II, 3, 994b5-995a20; AL XXV, 47.

¹⁴ AVICENNA LATINUS: *Liber de philosophia prima sive scientia divina (Metaphysica)*. Ed. S. van Riet. Louvain-la-Neuve: Peeters 1977, Vol. II, 4, 95-97.

¹⁵ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 2, 72a36-b1; AL IV, 9, 20-24

¹⁶ AUGUSTINUS: *Super Ioannem*, 26; CCSL (ed. R. Willelms. Turnholt: Brepols 1990), 36, 260.

ut «si lapis est leo, lapis est»; sed omnes conclusiones deductae ex principiis creditis deducuntur secundum habitudinem vel consequentiam tantum.

(12) Cuius probatio est, quia conclusio non potest habere maiorem certitudinem quam principium. Principia autem sunt tantum credita; igitur conclusiones deductae ex huiusmodi principiis erunt tantum creditae et per consequens secundum consequentiam tantum deductae; igitur nullus habitus proprie scientificus potest esse illarum.

[4. Quartum argumentum]

(13) Hoc secundo probatur ex repugnantia scientiae respectu habitus fidei et opinionis. Et hoc sic: ista se habent secundum ordinem; opinio, fides et scientia. Sicut igitur se habet opinio ad fidem, sic [fol. 2rb] fides ad scientiam. Sed ex opinatis numquam causatur fides sive habitus fidei; igitur ex credibilibus vel creditis numquam causatur habitus scientificus proprie dictus.

(14) Confirmatur ista ratio, quoniam videtur esse repugnantia inter aliqua quantum ad rationem compatiendi propter unam contradictionem sicut propter multas. Nam quodlibet extremum cuiuslibet contradictionis est impossibile alteri extremo. Sed opinio et scientia opponuntur contradictorie, scilicet secundum certitudinem et incertitudinem et non-evidentiam et evidentiam. Fides autem et scientia in uno istorum tantum, scilicet in non-evidentiam et evidentiam. Sicut igitur ex opinatis numquam sit habitus scientificus propter earum duplicem repugnantiam contradictionis, sic et ex creditis propter unam <repugnantiam>.

[5. Quintum argumentum]

(15) Tertio probatur idem ex reali differentia passionis et subiecti demonstrationis. Nam ad scientiam proprie dictam requiruntur subiectum, medium et passio materialiter differens in subiecto.

(16) Probatio: scientia proprie dicta est effectus demonstrationis. Est enim habitus conclusionis conclusae per demonstrationem ex I *Posteriorum* in fine¹⁷. Sed scientiae per demonstrationem non est aliud nisi cognoscere aliquid inesse alteri tamquam subiecto proprio per definitionem tamquam per causam mediam. Impossibile est cognoscere idem sibi ipsi inesse per definitionem. Ad scientiam igitur proprie dictam requiruntur subiectum, medium et passio realiter differens a subiecto.

(17) Et hoc concordat Commentator VI *Ethicorum* commento 24, dicens quod scientia est ex principiis constituens demonstrationem, causa utens rei et per ipsum constituens conductum. Sed subiectum principiorum creditorum sive articulorum fidei, <ut> quod Deus est, non est aliqua

¹⁷ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 34, 89b10-20; AL IV, 67-68.

talis passio vel definitio; igitur etc. Istaes relationes in Deo modo sunt [...] ^vad quod positus est Augustinus XIV *De Trinitate* capitulo 1¹⁸, ubi dicit quod ista scientia non polleant plurimi fideles, quamvis ipsa fide polleant plurimi. aliud est nisi scire tantummodo quod homo credere debeat propter ipsa quae non nisi aeterna sunt. aliud est scire. Ad hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur quam appropriare vocabulo scientiam vere apostulus. Haec Augustinus.

[Ad quaestionem]

(18) In ista questione, sicut est de se determinata et ad certos terminos immittendo determinare, procedam hoc modo. Primo videndum est quae et quot conditiones requiruntur ad scientiam proprie dictam; secundo ostendam quod ultra notitiam fidei ex diligentia studii convenit acquirere ex principiis creditis notitiam, qua aliqua clarius cognoscuntur quam per lumen fidei [fol. 2va] tertio probabo quod talis sic acquisita notitia possit dici habitus scientificus proprie dictus; ex quo respondebo ad quaestionem ^{vi}.

[Articulus 1]

[1. Opinio prima]

(19) Quantum ad primum dicebatur a quodam praedicabili¹⁹ quod de ratione scientiae proprie dictae sunt tantum istae tres conditiones, scilicet discursus, evidentia et certitudo. Sola certitudo formaliter constituit scientiam proprie dictam, discursus non.

(20) Et quia tunc Deus non habet aliquam scientiam proprie dictam, quia nullo modo discurret in cognoscendo, sequitur quod scientia nostra est per discursum et hoc est imperfectionis.

(21) Nec etiam evidentia formaliter constituit scientiam, quia quaero quid intelligis per evidentiam illam. Aut praesentiam essentia rei in intellectu sive essentiam rei praesentem intellectui, aut infallibilitatem rationis, qua scilicet aliquid infallibiliter cognoscatur. Evidentiam primo modo sumptam nullus ponit, quia res non est praesens intellectui per essentiam, sed per speciem tantum. Nec evidentia secundo modo sumpta, scilicet per infallibilitatem rationis, quia omnis nostra cognitio pro statu isto est fallibilis quia mutabilis.

¹⁸ AUGUSTINUS: *De Trinitate* XIV, 1; CCSL (ed. W.J. Mountain. Turnholt: Brepols 1978), 50A, 424-425.

¹⁹ V. g. HENRICUS GANDAVENSIS: *Summa*, ed. Parisiis 1520, art. 37, q. 2, in corp., I, fol. 241L; art. 7, q. 5, in corp., fol. 53E; *Quodlibeta* V, ed. Venetiis 1613, q. 14, in corp., fol. 177R; GUILLELMUS VARRO: *Commentarius in Sententias*, ms. Vienna, Österreichische Staatsbibliothek, lat. 1424, Prologus, q. 3, fol. 4rv; IOANNES DUNS SCOTUS: *Lectura* I, (in: *Opera omnia*, ed. Balić), Prologus, pars III, q. 1, XVIII, 39,8-40,13.

(22) Relinquitur igitur quod sola certitudo formaliter constituat scientiam illam, in quantum certitudo in proposito, quae ex assensu voluntatis copulantis intellectum cum obiecto credibili causatur.

[2. Ad opinionem primam]

(23) Istud dictum videtur magnam pati calumniam primo quantum ad rationem, qua probat quod discursus non constituit formaliter scientiam, quia illa ratio aequè probat quod discursus non requiritur necessario ad aliquam scientiam proprie dictam; quod, licet primum sit concedendum, istud tamen est simpliciter negandum.

(24) Quod autem ad scientiam humanam, ut humana est, necessario requiritur discursus, probatur. Scientia est effectus demonstrationis. Nam demonstratio facit scientiam ex I *Posteriorum* capitulo post principium²⁰. Sed certum est quod demonstratio vel est discursus vel non, sive discursus, ut expresse docet Philosophus, ubi prius; igitur etc. Et ibi est quod sit vel ibidem dicit quod necesse est demonstrativam scientiam ex veris et primis et immediatis etc.

(25) In ratione autem illa implicatur manifesta fallacia consequentis, ac si sic arguerem «homo et leo conveniunt in alteritate; igitur quod non convenit homini, non convenit leoni sive quidquid convenit homini, convenit leoni». Non valet. Sic in proposito scientiae Dei, angelorum et hominum conveniunt in hoc communi, quod est scientia; «igitur quod non convenit scientiae Dei, non convenit scientiae humanae» non valet. Praesupponit quod illa quae conveniunt in aliquo, si in eo, in quo conveniunt, non differunt, etiam in eo, in quo distinguuntur, non differunt. Et haec est manifesta fallacia consequentis.

(26) Dictum aliud videtur calumniabile quantum ad hoc quod sequens ratio praetendebat, quod scilicet ad scientiam proprie dictam non requiritur necessario evidentia rei, quia nec primo modo sumpta nec secundo, ut probat; igitur nullo modo.

(27) Hoc primo ostendam [fol. 2vb] conclusionem esse falsam et impossibilem; Secundo autem probabo eius probationem esse insufficientem.

(28) Primum patet. Loquamur de principiis potissimis, de quibus dicit Philosophus²¹: Principia cognoscimus in quantum terminos cognoscimus. Quaero quae sit imediata et praecisa causa, quare intellectus non potest non assentire talibus principiis, coignitis terminis. Et numquid certitudo rei?

(29) Et planum est quod quae sunt certissima natura, sunt nobis maxime latentia et per consequens ad cognoscendum difficillima, sicut patet ex principio I *Physicorum*²², ubi dicitur quod intellectus videtur se habere

²⁰ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 2, 71b18-20; AL IV, 7.

²¹ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora*, I, 3, 72b24; AL IV, 10.

²² ARISTOTELES LATINUS: *Physica* I, 1, 184a 10-b14; AL VII, 7-8.

ad ea quae sunt omni naturae manifestativa, sicut oculus incoatus ad lumen Dei.

(30) Super quod dicit Commentator²³ quod prima principia se habent in naturali cognitione sicut ianua dominus in domo in hoc quod non latent aliquem; sed, si in eo quod non latent, sint cognita, igitur eo quod possunt. Igitur evidentia est causa cognitionis eorum potius quam certitudo.

(31) Item certum est quod non est maior certitudo rei in aliquo principio complexo formato de aliqua re creata quam sit in primo complexo «Deus est trinus et unus», et tamen propter illam certitudinem non necessitatur intellectus ad statim assentiendum illi principio. Certitudo igitur non est praecisa saltem et immediata causa, quare intellectus assentit necessario primis principiis.

(32) Requiritur igitur quod rei evidentia sola sit causa praecise immediata. Et hoc est verum. Cum igitur conclusiones virtualiter continebantur in principiis et essentialiter dependebant ab eis, ita quod notitia a notitia, evidentia ab evidentia, certitudo a certitudine, sequitur quod, sicut evidentia rei est immediata causa intellectus principiorum, sic et scientiae conclusionum.

(33) Quantum autem ad probationem videtur mihi quod divisio illa est insufficiens et impropria maxime quantum ad secundam partem.

(34) Quod autem sit insufficiens patet. Nam evidentia addit ultra certitudinem rationis quandam ab intellectu. Est enim evidentia rei, proprie loquendo, manifestatio eiusdem rei apud intellectum. Et hinc est quod maior communiter, ubi loquimur de evidentia principiorum loco evidentiae videtur manifestatio.

(35) Unde proprissimam acceptionem evidentiae, ut nunc loquimur, dimisit in praedicta divisione.

(36) Ei bene concedo quod haec manifestatio sit per speciem sive similitudinem rei saltem absentis per essentiam ab intellectu.

(37) Quod autem sit improprie maxime quantum ad secundum membrum, quod est infallibilitas rationis, patet. Nam infallibile proprie est illud, cui non potest subesse falsum. Hoc autem pertinet ad rationem certitudinis, non autem ad rationem evidentiae, nisi quatenus includit certitudinem. Non enim proprie dicitur quod cognitio alicuius rei, cui non potest subesse falsum, sit evidens, [fol. 3ra] antequam ipsa cognitio intuat rationem obiecti, sed magis quod res cognita sit evidens cognoscenti et hoc propter relationem quam habet evidentia proprie. Tamen dicitur quod talis cognitio est certa et, quia certa, ideo infallibilis.

(38) Unde infallibilitas vel est idem quam ipsa certitudo vel causata a certitudine.

(39) Contra: omnis cognitio nostra pro statu isto est fallibilis quia mutabilis. Respondeo quod convenit loqui de cognitione intellectus sicut de

²³ AVERROES: *In Physicam* I, 1, (ed. Juntina, Venetiis 1562), IV 6ra.

ipso intellectu dupliciter: uno modo in quantum est ens quoddam creatum, includens potentialitatem quandam et ut sic tam intellectus quam eius cognitio est defectibilis et mutabilis et per consequens fallibilis.

(40) Alio modo possit considerari, in quantum est quid regulatum habitu scientifico, sicut scientia est certa et infallibilis et scibile in quantum scibile est certum et infallibile. Et sic intellectus informatus habitu scientifico et regulatus est certus et infallibilis. Et similiter est de cognitione ut regulata tali habitu. Impossibile est^{vii} sic quod ei subsit falsum, sicut patebit infra.

(41) Quod autem postea dicitur, scilicet quod sola certitudo adaesionis, causata ex assensu voluntatis, sit sufficiens causa constituendi formaliter dictam scientiam proprissime dictam, stare non potest, quia, si sic, sequeretur quod notitia fidei, immo ipsa fides esset proprie scientia.

(42) Consequens est falsum et impossibile; igitur et antecedens. Falsitas consequentis omnibus nota est et habetur ab Augustino XIV *De Trinitate* capitulo 1²⁴ et in multis aliis locis, sicut patebit infra.

(43) Hoc etiam habetur ab Augustino et Richardo et manifestissime ab Hugone de S. Victore in *De sacramentis* libro I parte X capitulo 2²⁵, ubi dicit quod fides est supra opinionem et infra scientiam constituta.

(44) Consequentia patet. Nam fides tantum habet certitudinem secundum Richardum *De Trinitate* I capitulo 2²⁶: ut genus videatur esse dementiae in his vel aliquantulum dubitare. Dicit etiam Hugo, ubi supra, quod fides certitudo est absentium. Hoc dicit *Glossa* super illud *Hebraeorum* 11²⁷: Fides est rerum sperandarum, substantia argumentum non apparentium. Si igitur certitudo adaesionis etc.

(45) Item, si praedicta certitudo sufficeret ad formalem rationem scientiae, cum haeretici propter incertitudinem adaesionis, quam habent libenter, subiciunt se morui, sequitur quod haeresis esset proprie scientia; quod falsum est.

(46) Praeterea, nullum dubium <est> quin tanta vel maior sit certitudo adaesionis in principiis sicut in conclusionibus, quia certitudo conclusionum, ut conclusiones sunt, essentialiter dependet ex certitudine principiorum; igitur, si illud dictum esset verum, sequitur quod habitus principiorum esset scientia proprie dicta.

(47) Cuius contrarium dicitur I *Posteriorum*²⁸ et VI *Ethicorum*²⁹.

²⁴ AUGUSTINUS: *De Trinitate* XIV, 1; CCSL 50A, 424-425.

²⁵ HUGO DE S. VICTORE: *De sacramentis* I, 10, 2; PL (ed. J.P. Migne, Paris 1844-1855), 176, 331A.

²⁶ RICHARDUS DE S. VICTTORE: *De Trinitate* I, 2; PL (ed. J.P. Migne, Paris 1844-1855), 196, 891.

²⁷ Hebr. 11,1-2

²⁸ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 3, 72b23-25; AL IV, 9-10

²⁹ ARISTOTELES LATINUS: *Ethica Nichomachea* VI, 5, 1041a4-a8; AL XXVI, 48.

[3. Opinio Scoti]

(48) Dicunt^{viii}: hic aliqui³⁰ sic et bene, licet in aliquo diminute, quod ad scientiam proprie dictam, prout scilicet de ea determinatur in I *Posteriorum*³¹: quattuor requiruntur conditiones, quarum tres sumuntur ex per se ratione^{ix} [fol. 3rb] obiecti, cui necessario talis habitus scientificus conformatur; quarta autem per comparisonem ad nos.

(49) Prima conditio est quod scibile vel scitum habeat certitudinem, ita quod suae cognitioni scientificae non potest subesse falsum. Unde Philosophus, ubi prius³²: Sunt namque scientes et non scientes; hi quidem opinantur sic se habere; scientes autem causam habent, qua res cuius simpliciter est scientia, hoc est impossibile aliter se habere. Philosophus etiam VI *Ethicorum* capitulo 4³³ dicit: Sic omnes enim suspicamur quod scimus non contingenter aliter se habere, ubi Commentator³⁴: Communis conceptio omnibus nobis est impossibile esse aliter se habere quod secundum scientiam cognoscimus et per hoc excluditur omnis dubitatio, deceptio vel opinio vel susceptio et omnia talia, quibus potest subesse falsum.

(50) Secunda^x conditio est quod scibile vel scitum habeat necessitatem ad aliquod sic necessarium. Et haec conditio sequitur ex prima, quia, si obiectum scibile esset contingens et possit sibi subesse falsum propter sui immutabilitatem, sicut convenit contra obiectum opinionis. Nunc autem de ratione habitus scientifici est quod necessarium includat essentialiter relationem ad obiectum, non tantum communem, sed etiam specialem, scilicet conformitatis ad ipsum. Alioquin habitus manens idem posset quandoque conformari suo obiecto et quandoque non, propter mutationem obiecti. Et per consequens posset quandoque esse verus et quandoque falsus; quod est contra Philosophum, ubi prius.

(51) Et hinc est quod Philosophus VII *Metaphysicae* capitulo 15³⁵, quod corruptibilium non est demonstratio nec per consequens scientia proprie, ut dicit *ibidem* Commentator³⁶ et Philosophus³⁷ I *Posteriorum*: Non est – inquit – demonstratio corruptibilium nec scientia simpliciter.

(52) Istae autem duae conditiones communes sunt non tantum scientiae, sed sapientiae et intellectus.

³⁰ IOANNES DUNS SCOTUS: *Reportatio* I-A, (ed. K. Rodler, in: RODLER, K.: *Die Prologe der Reportata Parisiensia des Johannes Duns Scotus. Untersuchungen zur Textüberlieferung und kritische Edition* [=Mediaevalia Oenipontana 2]. Innsbruck: Studia-Universitätsverlag 2005), Prologus, q. 1, art. 1, 4-5.

³¹ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora*, I, 2, 71b9-22; AL IV, 7.

³² ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora*, I, 2, 71b9-22; AL IV, 7.

³³ ARISTOTELES LATINUS: *Ethica Nicomachea* VI, 4, 40a24 b9; AL 481-482.

³⁴ EUSTRATHIUS: *In Ethicam*, ms. Toledo, Bibl. del Cabildo, 9514, VI, 4, fol. 122va.

³⁵ ARISTOTELES LATINUS: *Metaphysica* VII, 15, 1039b31-40a2; AL XXV, 150-151.

³⁶ ROBERTUS LINCOLNIENSIS: *In Analytica posteriora* I, 2, 99,9-100,28.

³⁷ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 2, 71b9-12; AL IV, 7.

(53) Tertia^{xi} conditio est quod scibile vel scitum sit evidens intellectui. Hanc autem evidentiam potest aliquod scibile habere dupliciter: uno modo ex termino. Unde I *Posteriorum*³⁸ dicitur quod principia cognoscimus in quantum terminos cognoscimus. Et illo modo proprie dicitur intellectus qui est habitus principiorum.

(54) Alio modo potest habere evidentiam ex prius evidentibus causatam vel ex aliquo evidente praedicto modo. Et hoc modo dicitur proprie scientia, quae est habitus conclusionum. Nam scire est per causam, hoc est per aliquid evidens intellectui cognoscenti et hoc sive mediate sive immediate.

(55) Quarta conditio, quae est per comparisonem ad nos est quod notitia evidentiae posterioris scibilis vel sciti sit causata per discursum sillogisticum a priori sive per applicationem sillogisticam prioris evidentis ad ipsum scibile vel scitum. Unde I *Posteriorum*³⁹: Necesse est esse demonstratam scientiam ex veris esse et primis et immediatis et notyis et primis causis conclusionis.

(56) Ex his omnibus colligitur talis definitio, quod scientia proprie dicta est certa cognitio veri necessarii, quod natum est [fol. 3va] Habere evidentiam ab alio necessario prius evidente, applicato ad ipsum per discursum sillogisticum.

[4. Ad opinionem Scoti]

(57) Ista definitio est bene et pulchre dicta. Quantum tamen ad tertiam conditionem, quae consistit in rei scitae vel scibilis evidentia, quae est causa totius veritatis, in hac questione nimis est diminute dictum. Et ideo videndum est qualis et quanta oportet esse evidentia principiorum, ad hoc quod ex eis deducatur conclusio scientifica proprie <dicta>.

(58) Et ostendo quod ad rationem talis conclusionis deducendae non requiritur necessario causata et talis evidentia principiorum, quod scilicet statim cognosco propositionem, cognitio terminis.

(59) Et hoc probo ex II *Physicorum*⁴⁰ et IV *Ethicorum*⁴¹, ubi utrobique loquitur Philosophus de scientia proprie dicta et sic non de scientia potissime dicta sive potissima, de qua loquitur I *Posteriorum*⁴². Dicit enim quod ad concludendum aliquid demonstrative et per consequens scientifice sufficit fides ex inductione.

(60) Cuius autem sit ista inductio? Ipsemet Aristoteles *ibidem*, ubi determinat ex intentione de notitia sive cognitione principiorum necessariorum requisita, docet quod ipsa sit per investigationem rationis via sensus,

³⁸ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora*, I, 3, 72b24; AL IV, 10.

³⁹ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 2, 71b8-22; AL IV, 10.

⁴⁰ ARISTOTELES LATINUS: *Physica* II, 2, 193b23-194b15; AL VII, 49-55.

⁴¹ ARISTOTELES LATINUS: *Ethica Nichomachea* IV, 3.

⁴² ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 2, 71b8-22; AL IV, 7.

experientiae et memoriae, ex quibus per inductionem concipitur universale quoddam, quod est principium scientiae conclusionum proprie dictae.

(61) Philosophus etiam VI *Ethicorum* capitulo 4⁴³ vult quod ad habendum scientiam sufficit quod principia sint aequaliter credita et cognita, ubi dicit Commentator commento 27⁴⁴ quod unus modus cognoscendi principia alicuius scientiae est ex inductione ire in comprehensionem universalis. Et hic modus sufficit secundum eum.

(62) Item, si praedicta evidentia requireretur, sequitur quod nulla specialis scientia subalternata alteri esset proprie scientia, immo quod omnes scientiae subalternatae essent una scientia proprie dicta; quorum neutrum est verum.

(63) Probatio consequentiae. Certum est enim quod principia nullius scientiae subalternatae sunt primo prima, igitur ex aliqua inductione concepta, non igitur ex sola notitia terminorum cognita. Similiter, si talis notitia semper esset necessaria, sequitur quod, si essent plures scientiae subalternatae ad invicem, quae non haberent principia propria proprie dicta, nisi principia primae scientiae, sic omnes essent ita.

(64) Item, ad veram rationem principiorum alicuius scientiae sufficit quod ipsa principia tam in se ipsis quam etiam in firma credulitate scientis sint vera, certa et necessaria et aequaliter cognita.

(65) Haec videtur intentio Philosophi VI *Ethicorum*: Cum quae sunt aequaliter credita et cognita, sint principia scientiae quaecumque principia aliqua, quae in se sunt vera, certa et necessaria, sunt aliter cognita, quaelibet tunc conclusio ex illis deducta scitur.

(66) Hic etiam attestatur modus loquendi Philosophi de cognitione principiorum [fol. 3vb] Communiter enim vocat eam fidem vel credulitatem, ut patet I *Posteriorum*⁴⁵ et VI *Ethicorum*⁴⁶.

(67) Item, per hoc concluduntur a principiis scientiae omnis suspicatio et opinio et omnia, quibus potest esse sub falso in se consideratis, etiam in mente apprehendentis. Ad veram igitur rationem principiorum alicuius scientiae sufficit quod ipsa principia tam in se ipsis quam in credulitate scientis sint vera, certa, necessaria et aliter cognita; sed multa sunt principia scientifica, quorum veritatis, certitudinis, necessitatis formam credulitas non habet ex sola notitia terminorum, sed magis per inductionem, sicut praeostensum est. Sola igitur notitia vel evidentia experimentalis inductionis sufficit ad rationem principiorum actus scientiae proprie dictae et, si non, potissime dictae, dum tamen illa notitia vel nota evidentia sit certa et firma.

⁴³ ARISTOTELES LATINUS: *Ethica Nichomachea* VI, 3, 40a20-23; AL XXVI, 481.

⁴⁴ AVERROES: *In Ethicam Nichomacheam* summa 1, cap. 4, (ed. Juntina, Venetiis 1562), III 84ra.

⁴⁵ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 3, 72b23-25; AL IV, 10.

⁴⁶ ARISTOTELES LATINUS: *Ethica Nichomachea* VI, 5, 1041a4-a8; AL XXVI, 48.

(68) Est sciendum tamen quod duo sunt genera principiorum. Quaedam sunt, quae statim, cognitis terminis, plene et perfecte cognoscuntur. Cuiusmodi sunt communes animi conceptiones, ut «omne totum est maius sua parte». Huiusmodi autem principia sunt potissima et primo prima. Dicuntur etiam naturaliter cognita, quia non requiritur habitus in intellectu adquisitus per inductionem rationis. Et iste habitus principii habet veritatem secundum illud dictum Philosophi⁴⁷, quod principia cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus. Horum autem evidentia consistit in prompta et certa suae veritatis manifestatione apud intellectum.

(69) Quaedam sunt principia, quae non sint in sua veritatis evidentia; manifestant se intellectui. Sed in certam cognitionem eorum devenitur per investigationem rationis modo supradicto et de talibus principiis loquitur Philosophus II *Posteriorum*⁴⁸ et VI *Ethicorum*⁴⁹. Et talia vel omnia vel ut communiter sunt principia in specialibus scientiis. Istorum autem evidentia consistit in suae veritatis deductae apprehensione.

(70) Isti autem duplici evidentiae correspondet uniformiter duplex evidentia conclusionum, ita quod evidentia conclusionum correspondenter sit causata ex evidentia principiorum et demonstrative deducta.

(71) Sic autem intelligendo evidentiam ad scientiam requisitam, videtur mihi quod supradicta descriptio est sufficiens et optima. Vel, si aliter intelligatur, oportet quod intelligatur de scientia potissima et non de qualicumque proprie dicta.

(72) Et est hic sciendum quod non restringo scientiam, prout dividitur contra sapientiam, secundum quod eam dividit Augustinus XIII *De Trinitate* capitulo 15⁵⁰ et XIV capitulo 15⁵¹: Quarum rerum divinarum scientia proprie sapientia dicitur; sed humanarum proprie scientia nomen accipit.

(73) Sed accipio hanc scientiam, prout est tam circa divina quam circa haec inferiora.

[Articulus 2]

(74) Secundo^{xii} ostendo quod ultra notitiam fidei convenit per diligentiam studii [fol. 4ra] ex principiis creditis acquirere notitiam, qua aliqua clarius cognoscuntur quam per lumen fidei.

(75) Et arguo sic. Et quaero: an ingeniosi, addiscentes scientiam istam cum magna diligentia studii et labore, adquirant talem notitiam vel non. Si non, igitur laborarent frustra; etiam laborassent magistri sive doctores qui tam variis modis Scripturam exposuerunt tot libros et scripta composuerunt, frustra etiam et fatue induxissent nos Hieronimus et

⁴⁷ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora*, I, 3, 72b24; AL IV, 10.

⁴⁸ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 33-34, 88b30-89b20; AL, 65-68.

⁴⁹ ARISTOTELES LATINUS: *Ethica Nichomachea*, VI, 7, 1139b14-36; AL, 255-256.

⁵⁰ AUGUSTINUS: *De Trinitate* XIII, 15; CCSL 50A, 407-408.

⁵¹ AUGUSTINUS: *De Trinitate* XIV, 1; CCSL 50A, 424.

Augustinus, Anselmus, Richardus et alii ad studium Sacrae Scripturae attendentes.

(76) Immo non timeo quin sit intentio Augustini quod ultra notitiam fidei convenit talem notitiam adquirere per diligentiam studii, sicut patet similiter 71 e 72 *Super Ioannem*⁵² et XIV *De Trinitate* capitulo 153 in auctoritate praeallegata ad opposita.

(77) Haec autem est intentio Richardi I *De Trinitate*, dicens quod ad aeviternorum notitiam modo credendo, modo ratiocinando, assurgimus et capitulo 354, sicut supra de principio lectionis allegatum fuit, dicens: Ad eorum itaque notitiam de quibus recte dicitur nobis, si non credideritis, non intelligetis⁵⁵, oportet quidem per fidem intrare nec tamen in ipso statim introitu subsistere, sed semper ad interiora et profundiora intelligentiae propoerare, et cum omne studio et summa diligentia insistere

(78) Hoc etiam docet Anselmus libro I *Cur Due Deus homo* capitulo 156, ut dictum est.

(79) Utrum autem ad notitiam illam habendam sufficiat lumen fidei, patebit in quaestione sequenti.

[Articulus 3]

(80) Quantum^{xiii} ad tertium videndum est an talis notitia potest dici ista scientia proprie dicta. Et hoc dicunt multi⁵⁷ et magis quod non⁵⁸, propter rationes factas ad principale; quidam tamen propter aliquas illarum et alii⁵⁹ propter alias.

(81) Sed hoc videtur aliis satis magistris⁶⁰ et mihi etiam multum derogare theologiae et sententiae sanctorum.

⁵² AUGUSTINUS: *Super Ioannem*, 71-72; CCSL 36, 505-509.

⁵³ AUGUSTINUS: *De Trinitate* XIV, 1; CCSL 50A, 424-425.

⁵⁴ RICHARDUS DE S. VICTORE: *De Trinitate* I, 3; PL 196, 892.

⁵⁵ Is. 6,3.

⁵⁶ ANSELMUS CANTUARIENSIS: *Cur Deus homo* I, 1, in: *Opera omnia* (ed. F.S. Schmitt, Edinburgh: Nelson 1946), I, 48-49.

⁵⁷ V.g. GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS: *Summa aurea* (ed. J. Ribailier, Paris: Éd. du C.N.R. S. 1985), I, tr. 3, cap. 1, n. 1-87; I, 26-28; tr. 8, cap. 1, q. 1; n. 1-39; I, 127-129; ALEXANDER HALENSIS: *Summa theologica* (ed. Quaracchi: Ex typographia Collegio S. Bonaventura 1924-1948), II, Prolegomena, art. 1; II, 201B; THOMAS DE AQUINO: *Summa theologiae* (in: *Opera omnia*, ed. Leonina, Romae 1888), p. I, t. 1, q. 1, a. 2, in IV, 9AB; ROBERTUS DE COWTON: *In Sent.* I (ed. H. Theissing, in: *Glaube und Theologie bei Robert Cowton* [= BGFTM 4/2-3]. Münster: Aschendorff 1970), Prologus, q. 2, art. 1, 269 (contra Guillelmum Nottinghamum); art. 3, 275.

⁵⁸ V. g. HENRICUS GANDAVENSIS: *Summa*, art. 8, q. 3, ad 3; I 66Z.

⁵⁹ V. g. GODEFRIDUS DE FONTIBUS: *Quodlibet* IX (ed. J. Hoffmanns, Louvain: Ed. de l'Inst. Supérieur de Philosophie 1904-1937), q. 20; IV, 282-283.

⁶⁰ V. g. HENRICUS GANDAVENSIS: *Summa* (ed. G.A. Wilson, Leuven: Leuven University Press 2005), art. 1, q. 2, 31,45-34,96.; BERNARDUS DE ALVERNIA: *Reprobationes*, in: STELLA, P. (ed.): *Teologi e teologia nelle „reprobationes“ di Bernardo d'Auvergne ai Quodlibet di Goffredo di Fontaines*. Torino: Società Editrice Internazionale 1957, 45.

(82) Quod sic probatur. Illa scientia quae est omnium aliorum non solum contentiva, sed etiam correctiva et suppletiva. Non minus potest dici proprie scientia, qua illae quae in illa continentur, per ipsam corrigentur et suppleantur; sed theologia est aliorum contentiva, correctorum suppletiva; igitur etc.

(83) Maior manifesta est de se. Minor patet per Augustinum VII *De doctrina Christiana* capitulo 8⁶¹: Nam quicquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si utile est, ibi invenitur. Et cum ibi quisque inveniatur omnia, quae utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quae nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine et mirabili humilitate discuntur. Haec Augustinus.

(84) Praeterea, si notitia acquisita ex principiis creditis ultra notitiam fidei, non potest dici proprie scientia, hoc non potest esse, ut videtur, vel quia ipsa principia credita nullo modo possint esse intellecta vel quia non possint esse clare et perfecte intellecta.

(85) Primum non impedit, quia implicat quoddam falsum et contra intellectum sanctorum. [fol. 4rb] Nam Augustinus 83 *Quaestionibus* quaestione 48⁶² ostendit credibilium tria. Sunt enim quaedam <quae> semper creduntur et numquam intelliguntur omnes rationes humanae de numeris vel quibuscumque disciplinis. Alia quae primo creduntur et postea intelliguntur, sicut qualia sunt ea quae ad res divinas pertinent; sed certum est quod de huiusmodi rebus divinis sunt principia credita, de quibus nunc loquimur; igitur etc. Nec potest dici quod Augustinus loquitur *ibidem* de cognitione patriae. Planum est quod ipse loquitur ibi de eorum cognitione, qui mundo sunt corde, quorum interest praecepta servare et bene unire et bene vivendo se ipsos actuare, sicut patet *ibidem* quod omnia pertinent ad statum viae.

(86) Hoc idem probat Augustinus I libro in fine. Hoc inesse dicit Augustinus contra Consentium⁶³: Rationem – inquit – ut potero redditurus sive non ut finem respuas, sed ut ea quae iam fidei terminate tenes, etiam rationis luce concipias.

(87) Idem plane dicit Anselmus I *Cur Deus homo* capitulo 1⁶⁴.

(88) Ex quibus omnibus patet quod principia credita possint aliquo modo esse intellecta. Et per consequens primum non impedit nec etiam secundum, scilicet quia omnino clare et perfecte non possint esse intellecta in via, quia, si haec ratio impediret, sequitur quod nulla scientia subalterna esse vel dici posset proprie scientia, quia omnis talis scientia accipit sua

⁶¹ AUGUSTINUS: *De doctrina Christiana*, II, 42; CCSL (ed. I. Martin, Turnholt: Brepols 1962), 32, 76.

⁶² AUGUSTINUS: *De diversis quaestionibus* 83, q. 48; CCSL (ed. A. Mutzenbecher, Turnholt: Brepols 1975) 44A, 75.

⁶³ AUGUSTINUS: *Contra Mendacium* I, 33; PL (ed. J.P. Migne, Paris 1844–1855), 40, 582.

⁶⁴ ANSELMUS CANTUARIENSIS: *Cur Deus homo* I, 1, in: *Opera omnia* (ed. F. Schmitt), I, 48–49.

principia ab alis, qua fiunt nota. Et per consequens in ipsa scientia subalternata non sunt clare vel perfecte nota, sed solum quia et in superiori scientia propter quid. Immo, si perfecta et clara cognitio ad propriam rationem scientiae requireretur et nulla simpliciter scientia discurreretur proprie in vita ista, quia omnis scientia nostra pro statu isto habet aliquid imperfectionis. Bene in omni scientia humana aliquid invenitur erroris et quaelibet scientia habet aliquas difficultates, quae numquam ad plenum poterunt attingi in hac vita.

(89) Nec mirum, cum intellectus noster se habet ad manufactiva, nec sicut oculus vespertioris ad lumen solis ex II *Metaphysicae* capitulo 1⁶⁵.

(90) Praeterea, illa notitia sic acquisita, eo ipso quod ponitur supra fidem, distinguitur contra notitiam fidei, sicut etiam patet ex praedictis. Igitur, si Deus non impedit quin illa notitia possit dici proprie scientia, nullum igitur relinquitur impedimentum, vel quia illa notitia est sapientia quae est habitus respectu aeternorum vel quia est intellectus qui est habitus principiorum.

(91) Primum non impedit, quia illud est exclusum in fine primi articuli, nec secundum, quia, si detur quod illa notitia sit habitus principiorum, haberetur propositum. Nec de ratione principiorum cognitorum vel intellectorum, ut sic est quod ex eis eliciantur vel a superiore possit elici conclusiones scientifice proprie dictae.

(92) Dicit etiam Commentator VI *Ethicorum* 71⁶⁶: tam habitus principiorum quam conclusionum potest dici scientia, [fol. 4va] licet non aequae proprie; igitur etc.

(93) Item Augustinus libro *De utilitate credendi* dicit sic, quod scimus, debemus rationi et quod credimus auctoritati. Quod exponens I *Retractionum* capitulo 14⁶⁷, dicit quod hoc non sic accipiendum est ut in sermone usitato revereamur nos dicere scire quod idoneis testibus credimus. Proprie quippe cum loquimur id solum sciri divinis quod hoc mentis firma ratione comprehendimus^{xiv}.

(94) Hic plane distinguit Augustinus inter scientiam proprie dictam et improprie dictam, vocans illam improprie dictam, qua debet scire aliquid solum ex simplici testimonio aliorum, de qua etiam loquitur idem Augustinus XI *De civitate Dei* capitulo 3⁶⁸: Avsit ut scire nos negemus quae testimonio didicimus aliorum.

(95) Haec scientia sic dicta et proprie dicitur fides; scientia autem proprie dicta est illa, qua aliquif firma ratione mentis comprehendimus vel te-

⁶⁵ ARISTOTELES LATINUS: *Metaphysica* II, 1, 993 b 10; AL XXV, 42.

⁶⁶ AVERROES: *In Ethicam Nichomacheam* VI, com. 71.

⁶⁷ AUGUSTINUS: *Retractiones* I; CCSL (ed. A. Mutzenbecher, Turnholt: Brepols 1984), 57, 41-43.

⁶⁸ AUGUSTINUS: *De civitate Dei*, XI, 3; CCSL (ed. B. Dombat/A. Kalb, Turnholt: Brepols 1958-1959), 48, 323.

nemus. De qua loquitur Augustinus I libro capitulo 7⁶⁹: Quippe – inquit – et pure scientia nominatur quae ratione et intelligentia paratur et ad illam scientiam sic proprie dictam de divinis acquirendum laboravit actus et obtinuit et alios ad hoc faciendum informavit.

(96) Unde credo aliquem <non> debere timere quin intentio beati Augustini fuit quod tota theologia sit pure et proprie scientia.

[Articulus 4
1. Solutio]

(97) Ex^{xv} his igitur dicendum est ad quaestionem quod inter principia credita quaedam sunt primo prima, sicut in aliquibus scientiis; quaedam autem sunt immediate et quod secundaria ex aliis, scilicet deducta vel saltem possibile deduci, ut verbi gratia, supposito hoc principio “Deum esse trinum et unum”, demonstrari potest quod quaelibet proprietas sit in alia et quod sint aequales et multa alia.

(98) Loquendo igitur de principiis creditis primo primis, cognosci possit dupliciter a viatore uno modo ex solo simplici testimonio et hoc vel ex simplici testimonio Ecclesiae – cuiusmodi est cognitio simplicium – vel simplici testimonio ipsius veritatis immediatae – cuiusmodi fuit prima cognitio sanctorum primitus inspirandorum et instructorum a Deo, de quibus habetur XVIII *De civitate Dei* capitulo 41⁷⁰. Et utraque cognitio est cognitio fidei, quae proprie dicitur fides, non scientia, sed contra scientiam distincta.

(99) Alio modo possunt cognosci cuiusmodi principia non tantum ex simplici testimonio, sed etiam ex tali testimonio, cuius infallibiliter certitudo sit evidens intellectui per viam sensus et experientiae et per inductionem signorum, miraculorum et prodigiorum. Haec fuit via illorum, qui primo Sacram Scripturam scripserunt et post modum exposuerunt et docuerunt, et est etiam via illorum, qui nunc in Sacra Scriptura diligenter et debita inquisitione student et laborant.

(100) Unde Richardus I *De Trinitate* capitulo 27⁷¹: Nihil certius vel quae constantius tenemus quam quod fide apprendimus. Est namque prioribus celitus revelata et tam multis tam magis signis et [fol. 4vb] prodigiis divinitus confirmata, ut genus videatur sententiae rationem habere vel aliquando tale dubitare. Innumera itaque miracula et alia quae non nisi divinitus. Sic possit in huius nobis fidem, id est certitudinem faciunt et dubitare non sinunt. Utrumque itaque in eorum attestazione vel confirmatione signis pro argumentis prodigiis pro experientiis. Haec Richardus.

⁶⁹ AUGUSTINUS: *Contra Mendacium* I, 7; PL 40, 527.

⁷⁰ AUGUSTINUS: *De civitate Dei* XVIII, 41; CCSL (ed. A. Mutzenbecher, Turnholt: Brepols 1984), 48, 636–638.

⁷¹ RICHARDUS DE S. VICTORE: *De Trinitate*, 2; PL (ed. J.P. Migne, Paris 1844–1855), 196, 891.

(101) Et est adhuc ulterius sciendum quod patet haec evidentia in scibilitatis testimoniis. Habitus per experientiam supradictam est dare aliam evidentiam, scilicet negativam in principiis primo primis, quae habet ex sola cognitione terminorum. Et est quod probat quod non reperiat, sicut et quod talis praedicatio nullam contradictionem includat. Nam, cognitis his «Deus», «trinus» et «unus», statim est evidens intellectui bene disposito quod illae propositiones «Deus est unus essentialiter», «Deus est trinus personaliter» nullam saltem contradictionem includunt.

(102) Haec autem duplex evidentia saltem sufficit ex parte cognitionis principiorum I *Posteriorum*⁷², ad hoc quod ex eis acquiritur habitus scientificus sic proprie dictus.

(103) Et quia convenit hoc in proposito reperire, hoc est quod ex principiis creditis potest adquiri; immo actu acquiritur habitus scientificus^{xvi} sic proprie dictus, quo aliqua clarius et perfectius cognoscuntur quam per lumen fidei.

[2. Opinio aliquorum]

(104) Ad primam rationem cum suis confirmationibus et duobus etiam sequentibus respondent quidam magistri solemnes⁷³ saltem implicite, dicentes quod, non obstante quod principia credita nullo modo sciuntur vel intelligantur in hac scientia, hoc aliqui illorum *alibi* asserunt esse verum, quia, ut dicunt, impossibile est ut idem obiectum sit simul et semel scitum et creditum, quia tamen eadem principia vere sciuntur et intelliguntur in scientia Dei et beatorum.

(105) Ideo, licet scientia vere et proprie potest dici scientia, etsi subalternata scientiae Dei et beatorum – quod probant –, sicut scientia subalternata in quantum talis est scientia proprie dicta; sed scientia in quantum subalternata supponit sua principia manifesta in superiori scientia et in ipsa credita tantum. Igitur non est contra rationem scientiae proprie dictae quod principia sua sint sibi tantum credita, dum tamen in superiori sunt scita vel intellecta.

(106) Secundum igitur hoc dicendum <est> ad formas rationum: ab imperfecta scientia principiorum scientiae subalternatae, ut eius sunt, non possit produci perfecta notitia quae competit scientiae proprie dictae virtute propria et potest tamen virtute superioris scientiae, scilicet subalternantis. Et sic est in proposito.

⁷² ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora*, I, 2, 71b8-22; AL IV, 7.

⁷³ AQUINAS: *Summa theologiae*, I, q. 1, art. 2; *Super Boethii De Trinitate*, 1, q. 2, art. 2; *De veritate*, q. 14, art. 9, ad 3; GUILLELMUS PETRI DE GODINO: *In Sent.* I, Prologus, q. 1, ms. Graz, Bibl. Univ., 475, fol. 1vb; IOANNES PARIENSIS: *In Sent.* I (ed. J.-P. Müller, Romae: Herder 1961), Prooemium, q. 3, 12, 43-61; BERNARDUS DE ALVERNIA: *Reprobationes*, Ad Quodlibet IV, 7 (VIII, 7), 26-27, in: STELLA, P. (ed.): *Teologi e teologia nelle "reprobationes" di Bernardo d'Avvergne ai Quodlibet di Goffredo di Fontaines*. Torino: Società Editrice Internazionale 1957.

[3. Ad opinionem aliquorum]

(107) Licet haec opinio vel responsio sit solemnitas, tamen videtur in tribus deficere: primo in hoc quod dicit quod haec scientia est subalternata scientiae beatorum. Quod non videtur verum. Nam impossibile est quod de obiecto et sub eadem ratione sint scientiae realiter et formaliter [fol. 5ra] distinctae, quarum una sit subalterna, alia autem subalternata; sed scientia tam Dei quam beatorum quam etiam viatorum est de Deo tamquam de subiecto ratione deitatis, sicut patebit inferius et ita sub eadem ratione; igitur etc.

(108) Probatio maioris: sicut distinctio formalis obiectiva arguit distinctionem realem in scientiis, sic unitas unitatem; sed ratio formalis obiectiva cuiuscumque scientiae subalternatae est realiter et formaliter distincta ratione obiectiva scientiae subalternantis, quia semper scientia subalternata addit aliquam rationem extraneam super subiectum scientiae subalternantis. Verbi gratia, perspectiva subalternatur geometriae et musica arismeticae secundum Commentatorem super III *Metaphysicae* commento 574. Unde perspectiva addit super lineam, quae est subiectum geometriae radium vel aliquid tale. Considerat enim de linea, non absolute accepta, sed ut radiosa vel visualis. Musica etiam super numerum, qui est subiectum arismeticae, addit sonum. Considerat enim de numero sonoro. Igitur impossibile est quod scientia subalternans et subalternata sint de eodem subiecto et sub eadem ratione. Et haec erat maior.

(109) Praeterea^{xvii}, theologia nostra causa prima et praecise est de eisdem veritatibus, de quibus est scientia beatorum et sic differenter ex parte cognoscentium, scilicet clare et obscure. Nam aequae immediate respicit theologia nostra istas veritates «Deus est trinus et unus», «Deus est aeternus» et huiusmodi, quae competunt Deo sub ratione deitatis, sicut scientia beatorum; igitur etc.

(110) Praeterea^{xviii}, scientia subalternata dependet essentialiter a scientia subalternante, sicut conclusiones a principiis, in quibus virtualiter continentur; sed theologia nostra non dependet essentialiter a scientia beatorum, quia illa nullam habet claritatem respectu huius quia nec notitia notitiae nec potentia potentiae nec obiectum ut ibi cognitum respectu obiecti ut cogniti a nobis; igitur etc.

(111) Ista rationes iudicio meo necessario concludunt, si sumatur signatum notabile secundum communem usum auctorum, scilicet Porphyrii, Philosophi⁷⁵, Boethii⁷⁶ et aliorum. Vocant autem subalternum illud solum, quod habet aliquid supra se, in quo virtualiter continetur, et aliquid sub se, quod etiam in eodem modo continetur.

⁷⁴ AVERROES: *In Metaphysicam* III, II, 1 (ed. Juntina, Venetiis 1562), VIII 43rb-va.

⁷⁵ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora*, I, 9, 76a10-3; AL IV, 22-23; 13,78b34-79a13 AL IV, 30-32.

⁷⁶ SEVERINUS BOETHIUS: *In Isagogem*, PL (ed. J.P. Migne, Paris 1844-1855), 64, 79.

(112) Unde Porphirius⁷⁷ dicit sic: Et quae in medio sunt extremorum, subalterna vocantur et genera et species. Unde numquam vocat aliquid extremorum subalternum ut genus generalissimum vel species specialissima.

(113) Ex quo sequitur quod illa principia solum sunt subalterna, quae praesupponunt aliqua principia priora, in quibus virtualiter continentur et a quibus scientificè deducuntur et etiam virtualiter includunt in se conclusiones aliquas ex eïis deducibiles vel deductae. Cum igitur scientia subalterna denominetur sic a principiis subalternis, sequitur quod quaelibet scientia subalternata dependeat essentialiter a scientia subalternante, sicut principia ex principiis, et quod in scientia subalternata sint conclusiones deductae [fol. 5rb] ex principiis scientiae superioris.

(114) Et haec est intentio Commentatoris commento 5 III *Metaphysicae*⁷⁸, quod scientiae subalternatae dant suis principiis cognitionem quia, hoc est a posteriori; scientiae autem subalternantes dant eisdem principiis cognitionem propter quid et, hoc est a priori; igitur etc.

(115) Secundo deficit illa ratio in hoc quod dicit quod principia credita nullo modo possint esse scita in hac scientia, quia hoc plane videtur esse contra intentionem sanctorum, ut patuit supra secundo articulo et tertio.

(116) Tertio deficit in hoc quod dicit quod principia in scientia subalternata sint tantum credita. Nam, cum – ut dictum est supra – omnis scientia aliquam importet evidentiam et illam habeat ex principiis, oportet necessario quod illa principia sint aliquo modo nota, et hoc vel per sensum et experientiam vel per inductionem vel per reductionem ad aliqua priora.

(117) Ad hoc igitur quod scientia subalternata sit proprie scientia, non sufficit quod sciens tantum credat sua principia; sed oportet quod cognoscat ea vel per experientiam vel per reductionem ad priora in scientia superiori.

[Ad argumenta principalia]

(118) Dicendum est igitur aliter ad rationes illas.

[1. Ad primum argumentum]

(119) Ad^{xix} primam, cum dicitur quod notitia, quam habemus de principiis creditis, non est nisi notitia fidei, quae totaliter distinguitur a ratione scientiae; igitur notitia conclusionum totaliter distinguitur, dicendum quod notitia, quam habemus de creditis in quantum sunt credita, est notitia fidei; sed tamen notitia, quam de eius habemus in quantum scita vel intellecta modo praedicto, potest dici intellectus vel scientia.

⁷⁷ PORPHYRIUS: *Isagoge*, translatio Boethii (ed. L. Minio-Paluello, Leiden: Brill 1995), 6–8.

⁷⁸ AVERROES: *In Metaphysicam* III, II, 1; ed. Juntina, VIII 43rb–va.

(120) Ad primam confirmationem, cum dicitur quod impossibile est esse excedere virtutem suam totalis causae, verum est sub ratione, quae est effectus.

(121) Ad minorem, cum dicitur «notitia principiorum huius scientiae est omnino imperfecta», dicendum quod, si loquamur de illis principiis in quantum credita sunt tantum, sicut eorum notitia est tantum fidei, et per consequens imperfecta; si autem loquamur de illis in quantum scita sunt vel intellecta, tunc comprehendendo eorum notitiam in via ad notitiam beatorum, adhuc est imperfecta sicut quaelibet alia, quam habemus in hac vita; sed ex hoc non sequitur quin notitia conclusionum ex eis deducta sit scientifica. Alioquin conclusio esset proprie scientifica. Comprehendendo autem eorum notitiam sic intellectorem ad notitiam mere fidei, sic aliquo modo dicenda est perfecta et ut sic bene potest ex eis deduci conclusio scientifica.

(122) Praeterea, ostensum est supra quod ad veram rationem principiorum alicuius scientiae proprie dictae sufficit quod sint aliquo modo cognita secundum Philosophum et Commentatorem suum.

(123) Ad secundam confirmationem, cum dicitur quod principia sunt magis nota quam conclusiones, verum est in suo genere cognitionis et hoc vel ex evidentia terminorum vel ex inductione et experientia. Et sic est de principiis fidei, in quantum sunt scita vel intellecta.

[2. Ad secundum argumentum]

(124) Ad secundum principale, [fol. 5va] cum dicitur «nulla scientia in quantum scientia, cum sit necessaria, dependet essentialiter a causa contingente; sed totus assensus theologicus dependet a causa contingente, quia a voluntate libera; detur quod verum est de primo assensu credentis, quo scilicet simplici testimonio assentit, non autem de primo assensu, quo ductu rationis assentit; igitur infra actus credendi non est meritorius saltem pro tempore illius assensus», dicendum quod non est verum. Nam solebat distingui et bene quod est fides vere et proprie dicta, quando scilicet assentitur alicui credibili solo testimonio dicentis. Et est fides interpretativa, quando scilicet assentitur alicui credibili non solum testimonio tali, sed etiam ductu rationis – dum tamen sic assentiens per actus sit assentire – sive quocumque ductu rationis vel experimento. Et hoc sufficit sibi pro merito.

[3. Ad tertium argumentum]

(125) Ad^{xx} tertium principale «illarum conclusionum, quae deducuntur secundum habitudinem vel convenientiam tantum, non est aliquis habitus scientificus proprie dictus», dico quod verum est, si in principiis, ex quibus deducuntur conclusiones, nulla sit evidentia certitudinis.

(126) Ad minorem, cum dicitur quod omnes conclusiones deductae ex principiis creditis sunt huiusmodi, verum est ut illa principia sunt mere credita, non tamen per inductionem, per quamcumque sint evidentia, et non est verum, quia tunc est reperire in principiis certitudinem maximam et certitudinis sufficientem evidentiam et inter principia et conclusiones habitudinem et convenientiam.

[4. Ad quartum argumentum]

(127) Ad^{xxi} quartum principale, cum dicitur quod ex opinatis numquam causatur fides etc., dicendum quod, sicut ex opinatis, ut mere opinata sunt et numquam credita, numquam causatur nisi^{xxii} opinio et^{xxiii} non fides, ex principiis tamen prius opinatis et postea creditis causatur fides, hoc est habitus certitudinis. Certitudinis in quantum ad adhesionem. Sic proportionaliter ex alia parte ex creditis, quae sunt mere credita et nullo modo scita, numquam causatur habitus scientificus proprie dictus. Ex principiis tamen creditis et postea intellectis bene causatur.

(128) Praeterea, non est simile de opinione et fide, ut ad illam scientiam comparatis. Nam fides, ut hic loquitur, est ab aliquo superiori, a quo habet firmam et infallibilem certitudinem, de qua certa possit haberi cognitio per inductionem, nec haec cognitio, cum non sit omnino clara et perspicua, excludit fidem; sed simul stant. Secus est de opinione respectu fidei.

(129) Ad confirmationem, quae est directe contra illud quod nunc dictum est et consistit in hoc quod fides et scientia contradicunt quantum ad evidentiam et non-evidentiam, dicendum quod contradictio est unius et eiusdem et secundum eandem rationem. In proposito autem deficit hoc quod non concedo. Licet enim idem principium et respectu eiusdem possit esse non-evidens, secundum quod est mere creditum, et evidens, prout est intellectum, non tamen secundum eandem rationem et hoc vel quia nota in eodem lumine vel saltem quia non secundum eandem rationem luminis, verbi gratia eadem res simul et semel ab eodem. Potest (fol. 5vb) cognosci cognitione mattutina, vespertina et per consequens mattutina et non-mattutina, vespertina et non vespertina, quia mattutina non est vespertina, nec e converso. Et tamen, ut simul sunt, non contradicunt, quia non sunt secundum eandem rationem.

(130) Sic in proposito ad exemplum, ad hoc scilicet quod idem articulus potest videri in lumine prophetae et credi lumine fidei et hoc simul et semel.

[5. Ad quintum argumentum]

(131) Ad^{xxiv} quintum principale, cum dicitur «ad scientiam proprie dictam requiruntur subiectum, medium et passio realiter differens a subiecto, dicendum quod, si illud debet habere veritatem, debet intelligi de demonstratione potissima et propter quid, quae quidem est per causam et a pri-

ori. Nos autem nunc loquimur de scientia, quae est habitus conclusionis deductae per demonstrationem, quae est a posteriori, sicut per effectus, ut per signa, miracula et prodigia; quae, licet non sit scientia aequae simpliciter, sicut prius, vere tamen dicitur scientia et deductio scientifica et etiam simpliciter, ut patebit prima distinctione.

(132) Tamen credo quod quantum est ex parte rei it saltem conceptibilis et intelligibilis a nobis, est dare aliquem conceptum formatum vel formabilem de eo, qui scientificè et hoc proprie quia a priori deduci potest ex aliquo priori conceptu eiusdem.

(133) Secundo aliter dico ad argumentum, cum dicitur «ad scientiam proprie dictam requiritur» etc., nego maiorem. Nam ad scientiam proprie dictam sufficit quod habeat subiectum et pro medio aliquid, quod dicatur de eodem subiecto, et pro passione aliquem conceptum posteriorem demonstratum subiecti, qui etiam dici potest passio eius, et hoc si est demonstratio a priori et per causam. Si autem a posteriori, tunc erit e contrario. Et non requiritur quod illud quod concipitur, vel ratio illa vel passio, sub qua concipitur, sit differens realiter a subiecto; sed sufficit quod sola ratione. Accidit enim scientiae proprie dictae quod passio differat realiter a subiecto et hac ratione materiae, de qua est scientia, sicut communiter est in creaturis, et hoc est imperfectionis.

(134) Ad probationem «impossibile est cognoscere illud sibi ipsi inesse per definitionem mediam», dicendum quod aliquid sibi ipsi inesse dupliciter potest intelligi uno modo per modum accidentis et realiter inhaerentis – et hoc est impossibile, quia includit contradictionem –, alio modo per modum denominationis tantum.

(135) Et hoc potest intelligi dupliciter: uno modo, ita quod ratio denominans et denominatum sunt idem re et ratione – et hoc etiam est inconveniens –, alio modo quod sunt idem realiter et essentialiter, non tamen secundum rationem. Et hoc bene conceditur. Sic enim est de omnibus passionibus dictis de Deo pure de omnipotentia, quae non est tam realitas quam divinitas vel essentia. Et tamen demonstrari potest quod Deus sit omnipotens et demonstratur libro *Genesis* mediante quodam conceptu posteriori, scilicet per hoc quod Deus est creator caeli et terrae et omnium in eis contentorum et sic de aliis.

[6. Opinio Suttonis minoris]

(136) Contra⁷⁹ istam solutionem arguitur sic: [fol. 6ra] I *Posteriorum*⁸⁰ habetur quod conclusio per se scibilis est vera per se secundo modo dicendi per se. Unde universaliter propositio vera per se primo modo dicendi per se non potest esse conclusio scibilis, sive praedicetur genus sive differentia sive definitio; sed in omni propositione vera per se primo modo dicendi per se conceptus praedicati est distinctus realiter a conceptu subiecti; igitur etc.

(137) Item, omne habens conceptum distinctum a denominativo demonstrabile de ipso et a priori et per causam, est compositum, sed Deus non est compositus; igitur etc.

(138) Maior probatur, quia oportet, quia illa qualitas denominans insit subiecto per causam mediam. Alioquin non esset demonstrabilis propter quid. Ista causa non potest esse extrinseca, quia sic ageret in Deum et esset prior eo, sicut movens moto et faciens facto – quod est impossibile –; igitur oportet quod sit intrinseca. Sed impossibile est quod ex eodem realiter et formaliter sit aliquid causa effectiva et susceptiva respectu eiusdem, quia nulla potentia movet se ipsam ad actum. Unde illa inferiora suscipiunt ratione materiae et efficiunt ratione formae. Ad hoc quod aliquid denominans demonstratur de Deo, oportet quod ex alio sit susceptivum illius passionis demonstratae et ex alio sit causa eiusdem. Et sic erit ibi aliud et aliud et per consequens compositio.

(139) Item, omne habens conceptum quidditativum est limitatum et compositum; sed Deus est illimitatus et ingenitus; igitur etc.

(140) Minor patet omni intelligenti. Probatur maior, quia, si talis passio debet demonstrari de subiecto, oportet quod hoc sit per definitionem mediam, quia medium in demonstratione est definitio; aut igitur definitio passionis aut subiecti aut utriusque, hoc est unius ut includentis alterum, sicut definitio accidentis includit subiectum.

(141) Non potest esse definitio passionis secundum se absolute ex proprio genere et propria differentia, quia tunc idem esset causa sui et esset petitio in demonstratione potissima. Non definitio passionis includens subiectum, quia, sicut aliquid non potest esse causa sui, ita nec pars causae, quia idem inconueniens sequitur. Igitur erit definitio subiecti respectu passionis primae. Sed definitio non convenit nisi limitatis et compositis ad certum genus et certam differentiam, quia componitur ex genere

⁷⁹ contra] scr. in mg.: Sutton minor. Sic Petrus de Sutton O.F.M. solebat vocari. Ista opinio autem non invenitur in quaestionibus editis a G. Etzkorn, Petrus Sutton, O.F.M.: Quodlibeta, «Franciscan Studies» 23 (1963) 68–139; Petrus Sutton, O.F.M.: Quaestiones disputatae, «Franciscan Studies» 24 (1964) 101–143. Commentarius Suttonis ad Sententias non traditur.

⁸⁰ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 4, 73b3-5; AL IV, 13.

et differentia, sed secundum Avicennam IV *Metaphisicae* capitulo 4⁸¹ primum non habet quidditatem nec genus nec differentiam nec definitionem nec demonstrationem.

[7. Ad opinionem Suttonis minoris]

(142) Ad primum illorum, cum dicitur «conclusio scibilis per se» etc., dicendum quod maior propositio tantum debet intelligi de demonstratione vel scientia potissima. Non credo quod sit aliqua propositio vera per se etiam primo modo dicendi per se, quin sit scibilis saltem demonstratione quia.

(143) Quod patet sic. Nam secundum Commentatoris opinionem in huiusmodi propositionibus vel probatur genus de differentia vel definitio, ut «homo est animal», «homo est rationalis», «homo est animal rationale», «mortale». Certum est quod prima propositio demonstrari vel deduci potest per actus rationales, quos experior qualibet homine exsercere, septima etiam [fol. 6rb] propositio per actus rationales, tertia autem per exercitium magistrorum.

(144) Et est sciendum quod ratio, quare propositio vera per se primo modo dicendi per se non potest esse conclusio scibilis in demonstratione potissima, est haec, quia in omni tali propositione praedicatum sic est de intellectu subiecti, quod vel dicit totam quidditatem subiecti vel partem quidditatis eius. Et ideo impossibile est formare aliquem conceptum quidditativum priorem, quod vel sit idem quod illa propositio vel quod includat illam propositionem. Et per consequens non est ibi dare medium, per quod potest sillogistice demonstrari; sed in propositione vera per se secundo modo dicendi per se praedicatum non est sic de per se intellectu subiecti, quia nec est quidditas eius nec pars quidditatis eius, sed accidens et passio eius. Et ideo propositionem per se veram secundo modo dicendi per se praecedit aliquis conceptus complexus et quidditativus, mediante quo potest demonstrari.

(145) Unde realis differentia praedicati a subiecto in propositione per se vera secundo modo dicendi per se non est causa, quare talis propositio est^{xxv} scibilis vel demonstrabilis, sed potius conformitas medii ad extrema.

(146) Quod patet per Philosophum I *Posteriorum* capitulo de demonstratione medii⁸². Unde, quod ibi sit realis differentia praedicta, hoc accidit scientiae proprie dictae ratione materiae limitatae, de qua formatur talis propositio.

(147) Unde, posito per impossibile quod propria passio in creaturis esset idem realiter, sola ratione differens a subiecto et ut sit denominans subiectum, ultimus conceptus formatus ex his posset scientificè demon-

⁸¹ Capitulum 4 non existit; forsitan cf. AVICENNA LATINUS: *Metaphisica* IV (ed. van Riet) 3, 217–219.

⁸² ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora* I, 20, 82a22–a35; AL IV, 42–43.

strari mediante alio priori conceptu quidditativo et hoc ratione conformitatis conceptus medii ad extrema. Verum est quod inter conceptum medium et extremum requiritur aliqua differentia formalis, sed non realis, et hoc tamquam sine qua non. Et sic est in proposito.

(148) Contra: quodcumque aliqua passio vel aliquod denominans demonstratur inesse alteri subiecto per aliquem conceptum medium, oportet quod ille conceptus medius sit propinquior subiecto quam illa passio vel illud denominans, quia, quando aliquid inest alicui per aliud, illud aliud immediatius est. Sed certum est quod illud medium in demonstratione saltem in Deo non differt realiter a subiecto; igitur oportet dicere quod illa passio vel illud denominans differat realiter, modo sic sola ratione; quod nullo modo differat a subiecto, nec qua sola ratione; quod est impossibile.

(149) Ad istud dicendum quod aliquid esse propinquius vel minus distans ab alio possit tripliciter intelligi: uno modo quantum ad gradum essendi vel existendi, ut si sint aliqua plura, quorum quodlibet addit super gradum entitatis et perfectionis vel quorum quodlibet praesupponit existentiam actualem alterius ordine quodam et in talibus semper id quod tenet rationem medii, est minus distans a quolibet extremorum quam ipsa extrema inter se, [fol. 6va] eo modo quo distant.

(150) Alio modo quantum ad modum inhaerendi vel inessendi, verbi gratia quantitas et qualitas. Quantitas enim tenet rationem medii, quo qualitas inest substantiae. Ideo secundum rationem inhaerendi quantitas est propinquior substantiae quam qualitas.

(151) Sed numquid praeter hoc quantitas secundum rationem quidditativam vel definitivam minus differat a ratione quidditativa substantiae quam qualitas. Certum est quod non, quia, ex quo sunt genera primo prima, aequae primo differunt.

(152) Tertio modo possumus loqui de distantia secundum ordinem concipiendi tantum, ut si aliquid simplex in essentia et multiplex in virtute concipiatur sub pluribus rationibus perfectionalibus ordine quodam, sicut est de Deo.

(153) Qualiter autem ille ordo propinquitatis et remotionis inter distincta secundum rationem debet attribui, datur talis regula, quod quemcumque ordinem realem haberent aliqua, si essent realiter distincta, consimilem ordinem habent, ut sunt distincta tantum ratione. Sufficit igitur quod conceptus quidditativus minus distat a subiecto in ratione concipiendi et demonstrandi sive inferendi, ad hoc quod mediante illo conceptus denominativus scientificè concludatur de eo.

(154) Ad aliam, cum dicitur quod omne habens conceptum quidditativum, distinctum a denominativo demonstrabili de ipso a priori et per causam, est compositum, dicendum quod non est verum.

(155) Ad probationem, cum dicitur quod oportet quod illud denominans insit subiecto per causam mediam, dicendum quod sufficit ad rationem

scientiae intelligere per causam mediam aliquid evidens intellectui, quod sit intrinsecum rei. Et sic est in proposito.

(156) Et quod ultra arguis, quod aliud et aliud est causa susceptiva et effectiva et nullum est ubi passio vel susceptibile differt realiter a suscepto. Sed non est sic in proposito.

(157) Ad tertium, cum dicitur «omne habens conceptum quidditativum, est definibile», dicendum quod non. Et quod ultra dicitur quod medium in demonstratione est definitio, verum est in realibus definitionibus. Sed an sit definitio subiecti vel passionis, sunt opiniones convenientiores tantum et forte veriores et magis consonans Philosopho est quod definitio subiecti. Sed hoc nihil ad propositum, quia Deus non est definibilis, proprie loquendo.

(158) Ideo, ad hoc quod aliquis conceptus denominativus demonstratur de eo, sufficit quod loco definitionis sit aliquis conceptus quidditativus, qualis haberi potest. Haec sine praeiudicio cuiuscumque dicta sint.

[QUAESTIO 2

Utrum ad cognitionem scientificam proprie dictam habendam requiratur aliud lumen supernaturale a lumine fidei et intellectus agentis]

(1) Supposito ex iam dictis quod ex principiis creditis potest adquiri aliquis cognitio scientifica proprie dicta, [fol. 6vb] secundo quaeritur iuxta hoc utrum ad talem cognitionem habendam requiratur aliud lumen supernaturale a lumine fidei et intellectus agentis.

[Argumenta quod sic]

(2) Quod^{xxvi} sic videtur.

[1. Primum argumentum]

(3) Conclusiones cognoscuntur ex principiis; principia ex terminis; sed termini articulorum fidei, ut quod signatur hoc nomine «Deus» et sic de aliis, clarius cognoscuntur quam lumine fidei.

(4) Probatio. Propositis duobus essentialibus in fide, possibile est quod unus clarius cognoscatur quod signatur hoc nomine «Deus» et sic de aliis quam alius; igitur etc.

[2. Secundum argumentum]

(5) Item^{xxvii}, ex praecedenti quaestione habetur quod habitus scientificus potest adquiri ex principiis creditis, quo aliqua clarius cognoscuntur quam per lumen fidei; sed omnis claritas vel est alicuius luminis vel in aliquo lumine; igitur super lumen fidei oportet ponere aliud lumen, ad hoc quod haec cognitio clarior habeatur.

[3. Tertium argumentum]

(6) Item^{xxviii}, si solo lumine fidei potest sufficienter adquiri praedicta cognitio, igitur plus pollent fide, plus proficerent in huius cognitionis acquisitione, quia, posita causa, necesse est poni effectum.

(7) Sed consequens est falsum secundum Augustinum XIV *De Trinitate*⁸³, dicentem quod scientia non pollent plurimi fideles, licet polleant ipsa fide plurimum. Igitur antecedens.

[4. Quartum argumentum]

(8) Item^{xxix}, Augustinus contra Manicheos in *Epistola fundamenti*⁸⁴: Ego catholicam profiteor fidem et per illam me ad certam scientiam venire praesumo. Et illa, ut quod credimus intelligere incarnamur, non iam hominibus, sed ipso Deo mentem nostram interius illustrante.

[5. Quintum argumentum]

(9) Item^{xxx}, Augustinus super illud *Ioannis*⁸⁵ «Erat lux hominum»^{xxxi}, dicit: Lux increata illuminat homines duplici lumine et parvulos lumine fidei, quo nutriuntur, quod lacte maiores lumines sapientiae, quo solido cibo vescantur.

[Argumenta quod non

1. Primum argumentum]

(10) Contra: quaero de illo lumine aut est naturale aut supernaturale. Non naturale, quia illa cognitio est de re supernaturali, ad quam se non extendit lumen naturale. Si supernaturale, igitur est speciale donum a Deo infusum. Et per consequens non esset laborandum ad sciendum Scripturam per studium; sed esset intellectus Scripturae, omnino a divino munere expectandus, quod tamquam erroneum reprobatur Augustinus I libro *De doctrina Christiana* in principio⁸⁶.

⁸³ AUGUSTINUS: *De Trinitate* XIV, 1; CCSL 50A, 424-425.

⁸⁴ AUGUSTINUS: *Epistula contra Manicheos*, 104; PL (ed. J.P. Migne, Paris 1844-1855), 42, 183.

⁸⁵ AUGUSTINUS: *Super Ioannem*, 3; CCSL 36, 22.

⁸⁶ AUGUSTINUS: *De doctrina Christiana*, I, 1; CCSL (ed. I. Martin, Turnholt: Brepols 1962) 32, 6-7.

(11) Sed^{xxxii} ad hoc respondetur quod illud lumen non datur nisi laborantibus et studentibus circa Scripturam; est igitur talis cognitio a labore et studio dispositive, sed a lumine infuso effective.

(12) Sed^{xxxiii}, si hoc esset verum, cum dona Dei non dantur nobis secundum proportionem naturalium, sed potius secundum contactum et dispositionem, sequitur universaliter quod illi qui cum maiore conatu laboraverint in studendo, quantumcumque fuerint haeretici, semper magis proficerent in cognitione Sacrae Scripturae quam alius acutissimus ingenio, qui minus studerit. [fol. 7ra] Cuius contrarium frequenter experimur.

[2. Secundum argumentum]

(13) Item, non minorem communicationem habent veritates cognoscibiles in Sacra Scriptura ad sua principia supernaturaliter cognita sicut ad articulos fidei quam veritates cognoscibiles in scientiis phisicis ad sua principia naturaliter cognita; sed per unum et idem lumen naturale potest homo cognoscere principia et ex illis principiis naturaliter cognitis devenire in cognitionem illorum, quae sunt post principia cognoscibilia; igitur eadem vel maiori ratione per unum et idem lumen supernaturale, scilicet fidei, ex principiis in lumine fidei cognitis poterit devenire in cognitionem aliarum veritatum cognoscibilium.

[3. Tertium argumentum]

(14) Item, impossibile est nos habere habitus nobilissimos et perfectissimos et nos latere ex I *Posteriorum* in fine⁸⁷. Habitus enim cognoscuntur per actus. Sed unumquodque theologum latet sic habere habitum scientificum in tali lumine; igitur etc.

(15) Probatio minoris. Omnis sciens, si reflectatur super actum suum, scit se scire et omnis credens, si reflectatur super actum credendi, scit se credere; sed nulla reflectione potest quis scire se habere habitum in tali lumine, tum quia nullus doctor, quantumcumque magnus et excellens, confitetur se scire theologiam in tali lumine, tum quia non potest ea cum tali lumine docere, cum tamen scientis vel sapientis signum sit posse docere I *Metaphisicae*⁸⁸.

(16) Respondetur^{xxxiv} quod prima propositio non habet veritatem de habitibus supernaturalibus et infusis, verbi gratia de gratia et caritate; quilibet sit habitus nobilissimus, tamen latet habentem causam. Et sic est in proposito.

(17) Contra^{xxxv}: certum est quod illa propositio est vera in illo sensu et illo modo, quo capit eam Philosophus; sed Philosophus capit eam pro habitibus qui habent evidentiam ex praesentia obiecti. Est igitur haec pro-

⁸⁷ ARISTOTELES LATINUS: *Analytica posteriora*, 5, 74a4; AL IV, 14.

⁸⁸ ARISTOTELES LATINUS: *Metaphisica* I, 1, 980a21-b20; AL XXV, 11-12.

positio universaliter vera «impossibile est Aliquis <habitus> supernaturalis et infusus sive naturalis et adquisitus». Sed habitus scientificus ultra notitiam fidei adquisitus evidentiam habet – ut ex praecedenti questione patuit – et lumen quod ponis, cum sit supra lumen fidei, <habet> claritatem et per consequens evidentiam quandam, quae non competit lumini fidei; igitur, si haberetur, impossibile est quod lateret.

[Ad quaestionem
Articulus 1]

(18) Circa^{xxxvi} istam quaestionem videndum est primo quid significatur nomine «certum», ubi sciendum est quod primus et principalis actus luminis est effectus illuminare et illuminata manifestare. Nam secundum Apostulum *Ad Epheseos* 5⁸⁹, omne quod manifestatur, est lumen, hoc est in lumine secundum *Glossam* et Commentatorem super *Angelicam Hierarchiam* capitulo 1 parte II⁹⁰: Neque colores neque figuras corporeas oculo carnis videre possumus nisi lumine solis illius perfuso et intellectus susceptus in oculo.

(19) Sic suo modo debet esse de illuminatione intellectuali. Omne igitur illud quod habet rationem illuminandi et [fol. 7rb] manifestandi vel sensibiliter vel intellectualiter lumen dici potest.

[Articulus 2]

(20) Secundo^{xxxvii} videndum est respectu cuius potentiae vel propter quam potentiam est necesse ponere quodcumque lumen.

(21) Dictum autem est prius quod luminis est manifestare; manifestatio autem vel^{xxxviii} est ipsius luminis apparitio vel ab ipsa creatio. Apparitio autem luminis duo includit, scilicet praesentiam et eiusdem perceptionem.

(22) Unde Commentator super *Angelicam Hierarchiam* capitulo 1 parte 1⁹¹: In oculo caeci est frequenter lumen solis; sed luminis apparitio. Non ipse enim lumen in ipso non percipit consimiliter est de oculo et lumen spiritualibus. Haec ille.

(23) Ex quo patet quod non est proprie luminis apparitio, nisi fiat eiusdem perceptio. Et sicut lumen exterius corporale inter potentias exteriores percipitur a solo visu, sic lumen interius spirituale a solo intellectu inter potentias rationales. Nam, sicut videmus quod visio sive actus videndi secundum primam eius impositionem competit sensui visus sive sensui exteriori, et secundum communem usum loquendi propter illius

⁸⁹ Ad Eph. 5,7-15.

⁹⁰ V. g. HUGO DE S. VICTORE: *Super Angelicam Hierarchiam* II, 1; PL (ed. J.P. Migne, Paris 1844-1855), 175, 933A-935B.

⁹¹ HUGO DE S. VICTORE: *Super Angelicam Hierarchiam* I, 1; PL 175, 926B.

sensus dignitatem et certitudinem estensus est ad cognitionem intellectus. Intelligere enim dicitur quoddam videre.

(24) Et similiter est intelligendum de nomine luminis. Nam primum institutum est ad significandum illud quod facit manifestationem in sensu visus^{xxxix}. Secundo autem extensum est ad id quod facit manifestationem apud quamcumque cognitionem. Inter igitur potentias rationales illa sola – et sic non omnia – quae respiciunt potentiam intellectivam, nomen luminis sortiuntur.

[Articulus 3]

(25) Tertio^{xl} est videndum quae et quot lumina requiruntur ad perfectam rerum cognitionem cuiuscumque status vel gradus, sicut Commentator dicit III *De anima* capitulo de intellectu agente⁹². Ex diversitate ordinum, scilicet rerum materialium et intellectualium, concludit diversitatem agentium. Et sic ex diverso ordine cognoscibilium cognoscere possumus diversitatem luminum.

(26) Est igitur sciendum quod rerum cognoscibilium quaedam sunt naturales, quaedam supernaturales. Et loquor de cognoscibilitate quad nos, ita quod illa dicantur naturaliter cognoscibilia, quae possint a nobis cognosci per naturam supernaturaliter cognoscibilia, quae per aliquid naturae superadditum possunt cognosci a nobis et se habent in duplici differentia secundum duplicem statum vel gradum cognitionis eorumdem. Pro statu enim viae eis correspondet cognitio aenigmatica et obscura et propter hoc dicuntur credibilia; pro statu autem futuro eis correspondet intuitio vel clara visio. Et ideo pro illo ordine dicuntur clare visa.

(27) Est igitur triplex ordo rerum cognoscibilium: unus naturaliter cognoscibilium, alius credibilium, <alius> clare visibilium. Omnia autem naturaliter intelligibilia vel sunt complexa vel incomplexa; incomplexorum autem est primus gradus primi ordinis [fol. 7va] Nostrae cognitionis vel cognoscibilitatis. Nam apprehensio simplicium praecedit omnem actum intellectus componentis et dividens ex III *De anima*; cognitio autem terminorum praecedit cognitionem principiorum; cognitio igitur incomplexorum est prima cognitio intellectus.

(28) Nunc autem omnis nostra cognitio habet hortum a sensu; species autem sensibilis sive imaginatio existunt, quia ibi materialiter existunt, sicut ponit conceptus proportionales, ut aliquid de se deficiat in intellectu possibili; intellectus autem ut sic, cum sit tabula nuda, in qua nihil depingitur ex III *De anima*, est in pura potentia respectu intelligibilium;

(29) necessario igitur requiritur aliquod lumen naturale ipsi intellectui possibile, per quod intelligibilia in potentia fiant intelligibilia in actu. Hoc autem est lumen intellectus agentis, de quo dicit Commentator III *De*

⁹² AVERROES: *In De anima* (ed. F. Stuard Grawford, Cambridge [Mass.] 1953), III, 5, 413.

anima in illo magno commento⁹³, quod intellectus agens habet duplicem respectum, unum ad materiales formas, alterum ad intellectum possibilem. Dicit etiam quod respectus intellectus agentis ad formas materiales est sicut respectus lucis materialis ad colores. Quod admodum enim lux facit colores de potentia in actu, ita ut possint movere dyaphanum, ita intellectus agens facit intentiones in potentia intellectas in actu, ut eas recipiat intellectus possibilis respectu alterius intellectus agentis. Ad possibilem, est sicut respectu lucis ad dyaphanum. Sicut enim lux est perfectio dyaphani, sic intellectus agens est perfectio intellectus materialis et sicut dyaphanum non movetur a colore nec recipit eum, nisi quando lucet, ita ille intellectus non recipit intellecta quae sunt hic, nisi secundum quod perficitur per intellectum agentem et illud per ipsum.

(30) Ad cognitionem igitur incomplexorum sufficit lumen intellectus agentis cum impressione specierum, de quibus non est nunc sequitandum. Complexa autem naturaliter cognoscibilia vel sunt principia vel conclusiones. Et loquor nunc de principiis primo primis; reliqua autem omnia, etsi eorum sunt principia, tamen <sunt> conclusiones, ut «corpus quod corrumpitur, aggravat animam».

(31) Et hic est quod ad perfectam notitiam primorum principiorum oportet ultra lumen intellectus ponere habitum quendam ex sola cognitione terminorum virtute intellectus agentis acquisitum, qui dicitur intellectus. Ad perfectam etiam notitiam conclusionum requiritur alius habitus ex actibus discursivus, acquisitus, qui dicitur scientia. Isti duo habitus, etsi non incongrue, possunt dici luminatum proprius. Dicuntur habitus quod ratio eorum principalis consistit in habituando et facilitando potentiam quam ita aliquid manifestando.

(32) Secus autem est de intellectu agente. In ordine itaque naturaliter cognoscibilium ponendum est solum [fol. 7vb] lumen intellectus agentis cum duobus habitibus praedictis, supposita semper generali influenza divina.

(33) Quia autem praedictum lumen intellectus agentis sufficit ad cognoscendum obiecta a nobis intelligibilia sine omni alio lumine divino speciali superinfuso, patet per Augustinum XV *De Trinitate* capitulo ultimo⁹⁴: Credendum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intellegibilibus naturali ordine, disponente Conditore, subiuncta sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quae in hac corporea luce circumadiacent, cuius lucis capax eique congruens est creatus». Lux autem sui generis non est nisi lumen intellectus agentis.

⁹³ AVERROES: *In De anima* III (F. Stuard Grawford), 5, 309–410.

⁹⁴ AUGUSTINUS: *De Trinitate* XII, 15, 24; CCSL 50, 378.

(34) Item, Damascenus libro III capitulo 15: Privare aliquam sua naturali operatione est destruere ipsam; sed intellectus est prima operatio intellectus secundum Damascenum *ibidem*.

(35) Dicit etiam Philosophus I *Ethicorum*⁹⁵ quod intelligere est operatio hominis, secundum quod homo <est>. Ponendo igitur quod anima intellectiva non possit naturaliter intelligere – et est ipsam destruere – sequitur etiam quod natura deficeret in necessariis. Sequitur tertio quod omnis^{xli} actus intellectus esset supernaturalis et multa talia.

(36) Restat nunc videre de ordine credibilium, quae, quia excedunt facultatem naturae et nihil naturae inditum vel adquisitum sufficit ad eorum cognitionem, ideo necessario requirunt in ordine isto lumen fidei infusum a Deo, in quo suo modo manifestantur apud intellectum.

(37) Unde Augustinus XIV *De Trinitate* capitulo 19⁶: Certa enim fides utcumque incoat cognitionem, scilicet credendorum, ut patet *ibidem*. Credibilia autem quaedam ab aliquibus saltem sunt tantum credita et per consequens non nisi per fidem cognita.

[1. Opinio Henrici Gandavensis]

(38) Et^{xlii} ad primam cognitionem secundum omnes sufficit lumen fidei; ab aliis autem sunt vel esse possunt scientifice cognita vel intellecta, ut patet ex praecedenti questione.

(39) Et ad istam cognitionem dicunt quidam⁹⁷ quod non sufficit lumen fidei, sed requiritur aliud lumen speciale, a Deo infusum, quod est supra lumen fidei et infra lumen generale, ita quod <est> medium inter utrumque. Et ad hoc ponendum movetur potissime propter rationes factas ad primam partem.

[2. Ad opinionem Henrici Gandavensis]

(40) Aliis⁹⁸ autem videtur quod nulla sit necessitas ad hoc ponendum, sed magnum inconveniens, et hoc propter rationes ad oppositum, quibus assentio. Immo, si nullam haberem rationem nisi illam generalem, quae numquam dicat ponere tale lumen, nisi magis cogeret auctoritas, quam adhuc non videt, regula generalis et nota apud Philosophum et praecise in I *Physicorum*⁹⁹ fuit quod quandoque aliquid potest fieri pauciora, frustra est ponere per plura. Sed ad quemcumque habitum theologicum scientificum, possibilem adquiri in hac vita, sufficit [fol. 8ra] lumen fidei cum

⁹⁵ ARISTOTELES LATINUS: *Ethica Nichomachea* I, 2, 95a16-97a14; AL XXVI, 377-381.

⁹⁶ AUGUSTINUS: *De Trinitate* XIV, 1; CCSL 50A, 424-425.

⁹⁷ HENRICUS GANDAVENSIS: *Quodlibet* VIII (ed. Parisiis 1518), q. 14, ff. 324v-326r; XII, q. 2, ff. 485r-486v; *Summa* (ed. Parisiis 1520), art. 13, q. 6, ff. 94r-95v.

⁹⁸ GODEFRIDUS DE FONTIBUS: *Quodlibet* VIII (ed. Hoffmanns), q. 7; II 69-76.

⁹⁹ ARISTOTELES LATINUS: *Physica* I, 5, 188a19-189a10; AL VII, 22-26; I, 7, 189b30-191a22; AL VII, 29-35.

lumine intellectus agentis et donis intellectualibus infusis, quae etiam lumina dici possunt, ut patet de dono superiori intellectus et scientiae, de quibus dicendum est in III libro.

(41) Non tamen nego quin sine istis donis, saltem quantum ad usum, possit haberi habitus aliquis theologicus scientificus. Nam, supposita illustratione fidei post debitam instructionem Sacrae Scripturae, sufficit lumen intellectus agentis ad scientificè investigandum, ad hoc ex aliis concludendum et ad notiores per consequens cognitionem inveniendum, sicut quilibet studiosus et ingeniosus in se ipso, si velit, potest experire. Frustra igitur ponerentur tot lumina.

(42) Eadem etiam necessitate vel consimili, scilicet propter improprietatem potentiae ad obiectum propter sui excellentiam in ordine superficialium aperte vel clare visibilium vel visorum, ponendum est lumen generale secundum communiores opinionem magistrorum ad illustrandum, elevandum et actandum potentiam intellectivam ut ad presentiam nudam tam excellentis obiecti possit actum visionis beatificum elicere.

(43) Sicut sibi in ordine obiectorum naturaliter intelligibilium sufficit ponere lumen intellectus agentis cum quibusdam habitibus acquisitis et in ordine superficialium, sufficit lumen generale cum perfectionibus aliquorum habituum remanentibus sic in ordine credibilium, sive sint mere credita sive modo praedicto intellecta, sufficit lumen fidei cum quibusdam donis infusis et intellectu agente. Et per hoc patet ad questionem.

[Articulus 4]

(44) Sed^{xliii} nunc quarto remanet modica questio, utrum scilicet per lumen intellectus agentis debeamus intelligere aliquid distinctum ab intellectu agente tamquam ab eo causatum, sicut est de lumine solis in medio et similiter de lumine fidei et generale.

(45) Ad^{xliiv} quod mihi videtur esse dicendum quod per lumen intellectus agentis debet intelligi ipse intellectus agens, qui est lux quaedam connaturalis et consubstantialis ipsi animae.

(46) Quod patet ex modo loquendi tam Philosophi quam Commentatoris. Philosophus dicit quod est lumen quoddam; Commentator quod est lux quaedam et nusquam quod scientia construat ipsum cum lumine in habitudine gignitivi.

(47) Dicendum lumen intellectus agens, sed potius intellectus agens qui est lumen vel lux et ita in nostro usitato modo loquendi est constructio intransitiva. Et istud est rationabile. Secus autem est de corporabilibus et spiritualibus. Nam spiritualia respectu corporalium sunt quasi illicita et ideo se ipsis agunt.

(48) Unde dico quod intellectus agens se ipso illuminat et perficit intellectum possibilem. Similiter dico quod lumen fidei nihil est aliud

quam ipsa fides quae quaedam lux spiritualis est; lumen igitur generale etiam [fol. 8rb] non est nisi ipse habitus gloriosus, a Deo infusus.

[Ad argumenta principalia

1. Ad primum argumentum]

(49) Ad^{xlv} primum, cum dicitur «principia cognoscuntur ex terminis», dicendum quod illud debet intelligi de principiis naturaliter cognitis, non de supernaturalibus; cuiusmodi sunt articuli fidei, quia, quodcumque quis cognoscat quid significatur his nominibus «Deus», «trinus», per hoc tamen non intelligit hanc complexam «Deus est trinus», quia haec dependet ex aliquo lumine superiori. Nam ad cognitionem terminorum aliquorum saltem articulorum sufficit lumen intellectus agentis, verbi gratia quid sit virgo et quid mater.

(50) Ad cognoscendum tamen matrem esse virginem, ultra lumen intellectus agentis oportet ponere lumen fidei et hoc sufficit.

(51) Quod postea dicitur «termini articulorum clarius cognoscuntur quam per lumen fidei», dico quod termini sunt in alio ordine cognoscibilium quam ipsi articuli. Et ideo comparationes sunt disparatae. Unde quod termini magis cognoscuntur ab uno quam ab alio, hoc est vel propter nobilium ingenium vel propter maius exercitium.

[2. Ad secundum argumentum]

(52) Ad^{xlvi} secundum, cum dicitur quod claritas, qua credita clarius cognoscuntur quam per lumen fidei, est alicuius luminis, dico quod illa claritas, loquendo proprie, est ipsius habitus scientifici ex principiis creditis <habitus> acquisiti; qui quidem habitus, cum sit intellectualis, potest dici lumen quoddam non infusum, sed acquisitum per studium et exercitium lumine intellectus agentis cum lumine fidei, ut dictum est. Et haec sufficiunt.

[3. Ad tertium argumentum]

(53) Ad^{xlvii} tertium, si sic et plus pollens fide plus proficeret in illa cognitione, dicendum quod consequentia esset bona, si poneretur quod illa cognitio solo lumine fidei habeatur, nullo alio adiuncto. Nunc autem ponimus lumen fidei <propter> diligentiam studii et exercitii et vivacitatem ingenii, quae de se sine aliquo novo lumine addito sufficiunt ad cognoscendum aliquid scientificae, quod tantum prius per fidem cognovit.

[4. Ad quartum argumentum]

(54) Ad^{xlviii} aliud «Deo intellectum illustrante» dicendum quod alius non intelligit per hanc illustrationem alicuius spiritualis luminis infusi ultra lu-

men fidei; sed loquitur de generali illustratione vel influentia divina, quae, licet respectu aliarum creaturarum sit specialis, tamen respectu totius intellectualis naturae et rationalis creaturae est generalis per generalem influentiam vel illustrationem divinam respectu naturaliter cognoscibilium.

(55) Nihil aliud intelligo nisi mantenentiam et conservationem creaturae rationalis vel luminis naturalis, quo mediante sufficienter potest attingi notitia praeceptorum; respectu autem supernaturaliter cognoscibilium et intelligo mantenentiam luminis fidei in ordine credibilium et luminis gloriae etiam in ordine [fol. 8va] clare visibilium.

[5. Ad quintum argumentum]

(56) Ad^{xlix} quintum, ubi agitur de evidenti lumine viatoris, dicendum quod primum est lumen fidei, secundum autem lumen sapientiae, quod maioribus causatur tamquam speciale donum Dei; sed non est necessario omnibus, ad hoc quod intelligant quamcumque veritatem theologiam vel adquirant quemcumque habitum theologiam; sed, ut dictum est, sufficit lumen fidei cum ratione naturali.

(57) Unde scitum communissime dici potest quod Augustinus vocat sapientiam cognitionem adquisitam per fidem et naturalem rationem, quia scilicet ex principiis altissimis deductam.

Résumé

Cette contribution présente l'édition des questions 1-2 du Prologue du commentaire de Guillaume de Nottingham aux Sentences de Pierre Lombard. Cet auteur franciscain enseigne à Oxford au début de la seconde décennie du siècle XIV. Les deux questions développent sujets multiples qui ne concernent pas seulement la théologie, mais aussi la logique et l'épistémologie. Nous trouvons la définition de la connaissance scientifique, la relation entre la science, l'opinion et la foi, la subalternation des sciences, l'ordre des concepts, les concepts in quid et in quale. Les principales opinions de Thomas d'Aquin, Henri de Gand, Godefroi de Fontaines, Jean Duns Scot et Sutton Minor sont débattues.

Abstract: The first two prologal questions of the commentary on the Sentences by William of Nottingham

This article presents an edition of Questions 1-2 of the Prologue of the Commentary of William of Nottingham on the Sentences of Peter Lombard. This Franciscan author taught at Oxford at the beginning of the second decade of the 14th century. The two questions develop various subjects which concern not only theology but also logic and epistemology. We find a definition of scientific knowledge, the relation between science, opinion and faith, the subalternation of the sciences, the order of concepts, the concepts in quid and in quale. The main views of Thomas Aquinas, Henry of Ghent, Godefroï of Fontaines, John Duns Scotus and Sutton Minor are debated.

- ⁱ quia] questio *scr.* in *mg.* C
- ⁱⁱ Concluduntur] argumentum primum *scr.* in *mg.* C
- ⁱⁱⁱ Item] argumentum secundum *scr.* in *mg.* C
- ^{iv} Item] Argumentum tertium *scr.* in *mg.* C
- ^v Duae lineae sunt corruptae in C.
- ^{vi} Quaestionem] articulus primus *scr.* in *mg.* C
- ^{vii} est] impossibile est *add.* in *mg.* C
- ^{viii} dicunt] Dons *scr.* in *mg.* C.
- ^{ix} ratione] Nota quattuor condiciones proprie dictas necessario / Prima *scr.* in *mg.* C
- ^x secunda] secunda *scr.* in *mg.* C
- ^{xi} tertia] tertia *scr.* in *mg.* C
- ^{xii} secundus] articulus secundus *scr.* in *mg.* C
- ^{xiii} quantum] articulus tertius *scr.* in *mg.* C
- ^{xiv} Credimus] quod hoc mentis ferma ratione credimus *om.* per *hom.* C.
- ^{xv} ex] Ad quaestionem *scr.* in *mg.* C
- ^{xvi} scientificus] sic *add.* C.
- ^{xvii} secunda] secunda *scr.* in *mg.* C
- ^{xviii} praeterea] tertia *scr.* in *mg.* C
- ^{xix} ad] Ad primum principale *scr.* in *mg.* C
- ^{xx} ad] Ad tertium principale *scr.* in *mg.* C
- ^{xxi} ad] Ad quartum principale *scr.* in *mg.* C
- ^{xxii} nisi] opinio *add.* in *mg.* C.
- ^{xxiii} et] non *add.* C
- ^{xxiv} ad] Ad quintum *scr.* in *mg.* C
- ^{xxv} est] est *om.* per *hom.* C
- ^{xxvi} quod] Primo *scr.* in *mg.* C
- ^{xxvii} item] Secundo *scr.* in *mg.* C
- ^{xxviii} item] Tertio *scr.* in *mg.* C
- ^{xxix} item] Quarto / Gandavensis *scr.* in *mg.* C
- ^{xxx} item] Quinto *scr.* in *mg.* C

- xxxⁱ hominum] dicit *add.* in *mg.* C
- xxxⁱⁱ sed] Respondeo *scr.* in *mg.* C
- xxxⁱⁱⁱ sed] Contra *scr.* in *mg.* C
- xxx^{iv} responsio] Responsio *scr.* in *mg.* C
- xxx^v contra] Contra *scr.* in *mg.* C
- xxx^{vi} circa] Articulus primus *scr.* in *mg.* C
- xxx^{vii} secundo] Articulus secundus *scr.* in *mg.* C
- xxx^{viii} vel] est *add.* C
- xxx^{ix} visus] nam autem extensum est ad id quod facit manifestationem in sensu visus *canc.* C
- xl^o tertio] Articulus tertius *scr.* in *mg.* C
- xli^o omnis] actus *add.* C
- xlⁱⁱ Et] Opinio Gandavensis *scr.* in *mg.* C
- xlⁱⁱⁱ Sed] Quartus articulus / Quaestio *scr.* in *mg.* C
- xl^{iv} Ad] Respondeo *scr.* in *mg.* C
- xl^v Ad] Ad primam rationem *scr.* in *mg.* C
- xl^{vi} Ad] Ad secundam *scr.* in *mg.* C
- xl^{vii} ad] Ad tertiam *scr.* in *mg.* C
- xl^{viii} ad] Ad quartam *scr.* in *mg.* C
- xl^{ix} ad] Ad quintam *scr.* in *mg.* C